2

THESIS
DOCTORIS SAVAGE
COLLEGII BALIOLENSIS
MAGISTRI,

NEMPE

PAEDOBAPTISMVM
ESSE LICITUM,

Confirmatio, Contra Refutationem
M^RI TOMBES
nuper Editam, juxta Numerum Sectionum
Ejusdem Refutationis Partita;

IN QUA
Argumenta M. *Tombes* contra *Voßium* ipsum super
Quæstione de Pædobaptismo, ex superabundanti,
Refelluntur.

Ipse denique D. *SAVAGE* a Calumniis
M. *TOMBES* Vindicatur.

Ὥστε ἐχθρὸς ὑμῶν γέγονα ἀληθεύων ὑμῖν, *Gal.* 4. 16.

OXONII,
Typis L. LICHFIELD Academiæ Typographi,
& Veneunt apud *Tho. Allam.* 1655.

REVERENDO

VICE-CANCELLARIO,

UNA CUM

VENERABILI COETU DOCTORUM & MAGISTRORUM REGENTIUM IN

Academiâ Oxoniensi.

VOBIS enim qui Thesin nostram de Pædo-baptismo calculo vestro approbâstis, & disceptationibus in vesperiis super eadem auriti testes adfuistis, jure optimo debetur summa hæc eorum quæ copiosius, si res ita postulasset, per modum sive ὑποκείσεως sive κατακείσεως dici potuissent, in Refutationem per Mrum *Tombes* nuper editam, in qua rem ita tractavit, ut non verba sugillârit tantùm (hoc enim parum est cum aptioribus Utrinque forsan uti liceret) sed sensum non meum solummodo, sed & *Vossii* immutarit. Id enim quibusdam moris est, quod cum nequeant adversariorum dicta refellere, eos facilius rescindenda dix-

ísse fingant; Miror autem ingenium ipsius, qui ad instar Galli in pugna succubituri sub alis vestris (quos pro adversariis & Schismaticis reputat) sese satis galeatum existimat.

Taceo fastum hominis, hominis inquam (humana enim hæc sunt omnia) de semetipso optime, de aliis pessime Ominantis. Quod autem ad me attinet, non immemor *Constantini* sum, qui de quodam ob violatam effigiem suam Imperatoriam delato, in hunc modum respondit, ecce Corpus Meum integrum & sanum: vbi sunt vibices, ubi vulnera, ubi cicatrices? Charitas ignoscere Novit bene, veritas succumbere nescit. Ad vos igitur provocans oro, ut spurium illud opus velut ancillæ filium (si ita Loqui Liceat) ejicientes, ne hæres esset cum filio Liberæ; in gremium vestrum recipiatis, ibidemq; foveatis hanc (cui jamdudum susceptores fuistis) genuinam Ecclesiæ prolem, habitu Licet in composito indutam, amanibus

Vestri in Christo

Humillimi Servi

H. S.

Oxon. 11°
Calend. Jun.
1655.

Syllabus Rerum Præcipuarum.

SECT. I. *Reſpondetur titulo Libelli M.* Tombes, *defenduntur Epiſtola & poſtſcriptum* Savagii.

SECT. II. *Defenduntur partes proparaſcevaſtica & paraſcevaſtica Quæſtionis de Pædobaptiſmo; ubi agitur de immerſione, & de aſperſione, de Celtarum conſuetudine; Naudin Contra Meſtrezatium perſtringitur; Luctus & vagitus infantium unde? ἀναπόδεικτα oſtenduntur.*

SECT. III. *Argumentum primum pro Pædobaptiſmo vindicatur. Fœdus Gentilitium, Papiſticum probatur; de Liberis ignotorum, Nothorum, hypocritarum, & flagitioſorum &c. agitur; inconſequentiæ autem M.* T. *notantur, una cum claudicatione diſtinctionis.*

SECT. IV. *Confirmatur major propoſitio; exponitur* μαθητεύσατε Mat. 28. 19. *Latebræ M.* T. *notantur.*

SECT. V. *Infantes eſſe in fœdere probatur: Formula diſputationis in veſperiis narratur aliter quam M.* Tombes *Comminiſcitur: aliud commentum M.* T. *notatur.*

SECT. VI. *Locus* Act. 2. 38, 39. *Exponitur*; *unde ſeptemplex error M.* Tombes *notatur.*

SECT. VII. *Defenditur argumentum* Voſſianum *e* Joh. 3. 5. *deſumptum.*

SECT. VIII. *Argumentum e* Mat. 19. 13. *deſumptum confirmatur. Ceſſante Materia præcepti ceſſat obligatio, exponitur. De paribus idem eſt judicium, exponitur: de manuum impoſitione agitur; Auguſtinus vindicatur.*

SECT. IX. *Defenditur Argumentum* Voſſii *e* 1 Cor. 7. 14. *depromptum, contra argumenta M.* T. *ex* Auguſtino, *& a frigidis, Fornicantibus, & faminis deprompta.*

SECT. X. *Defenduntur argumenta* Voſſii *e Loco,* 1 Cor. 10. 2. *deprompta; perſtringitur conſequentia M.* Tombes *de baptiſmo Beſtiarum.*

SECT. XI. *Confirmatur argumentum* Voſſii *&* Savagii *e* Col. 2. 11, 12. *depromptum, de ſucceſſione Baptiſmi in Locum circumciſionis, eorumq; æquiparatione. Perſtingitur M.* T. *propter illiberalia dicta de* D. Savage. *Fœdus cum* Abrahamo *pactum non eſſe Gentilitium oſtenditur contra* Grotium: *de proſelytis portæ, & proſelytis juſtitiæ agitur.*

SECT. XII. *Pædobaptiſmus univerſali poſt Apoſtolos traditione probatur. Loca e Cypriano & Origine vindicantur. Pelagianos ipſos Pædobaptiſmum Credidiſſe oſtenditur: perſtringitur M.* T. *quod Grotium depe-*

rent.

reat: *Fallacia plurium interrogationum M.* Tombes *notatur: de ætate Chriſti, de chiliaſtis, de ſchiſmate circa obſervationem Paſchatis agitur.* D. Savage *ipſe a Calumnia* M. Tombes *vindicatur. Pædobaptiſmus e* Juſtino & Tertulliano *probatur, ubi de ſponſoribus agitur: Teſtimonium* Auguſtini *non improbandum. Mos dandi Euchariſtiam parvulis non probatur e* Cypriano *vel* Auguſtino: *Regulam Auguſtini de Pædobaptiſmo, Conſuetudini dandi Euchariſtiam infantibus non eſſe accommodandam oſtenditur pluribus rationibus.*

SECT. XIII. *Oſtenditur illud quod M.* Tombes *contra* Marſhallum *Scripſit non manere invictum, nempe Pædobaptiſmum eſſe nuperam innovationem: Argumento petito a Concilio* Neocæſarienſi *reſpondetur etiam ad Conſilium quorundam de baptiſmo differendo: de* Berengario, Petrobruſianis, & Heinricianis *agitur. Teſtimonium* Bernhardi *contra eos invalidum eſſe oſtenditur, de* Waldenſibus *nonnulla, etiam de* Albigenſibus *pauca Notantur.*

SECT. XIV. Voſſii & Savagii *reſponſiones vindicantur ab exceptionibus M.* Tombes *qui conjecturas deperit.*

SECT. XV. *M.* Tombes *a Schiſmate non Liberatur, minus ſerius ipſe deprehenditur.*

SECT. I.

Reſpondetur titulo Libelli M. Tombes, *defenduntur Epiſtola & Poſtſcriptum* Savagii.

1. ANNO DOMINI 1652. Ante finem Termini Paſchatis Theſis noſtra de Pædobaptiſmo unà cum cæteris in proximis tunc Comitiis & veſperiis diſcutiendis, Congregatione Regentium pro more proponebatur; qui hanc ſicut & reliquas calculo ſuo appobarunt. Hoc longe lateq; Cognitum cito ad aures M. *Tombes* pervenit: qui (quemadmodum ab ipſis popularibus ſuis & in itinere ſociis didici) ſeſe non caſu ſed de induſtria ad comitia proxima menſe *Julio* ſc. Contulit, ut de Quæſtione circa Pædobaptiſmum in arenam deſcenderet. Quid rerum tunc ſuper eadem gerebatur ex epiſtola & Poſtſcripto meis jamdudum Editis ſatis Liquet. Inde autem anſam arripuit M. T. poſt biennium Refutationem ſuam in Lucem Edendi (quam paulo ante noviſſima *Michaelia* accommodavit mihi peritiſſimus verbi divini præco Doctor *Harris*) in qua non-nihil candoris aliquando deſiderari ex ſubſequentibus

patebit satis : in ipso enim titulo Libelli dente utitur Theonino, quum dicat, *Argumenta Vossiana in Centone Savagiano decesse.* Non enim visum fuit mihi veritati semel munitissimæ novis aggeribus struendis cavere: Ea autem M. *Tombes* (non impune tamen uti spero) ad examen rovocavit ; quod si egisset antequam *Vossius* ipse mortalitatem exuisset, puto eum quantumvis in hac controversia exercitatissimum tanti pugilis lacertos infæliciter expertum fuisse : quod ad *Centonem* attinet, nomen non mihi displicet, quia nec res ipsa, quippe utrinq; κάλλιστ est, idq; maxima ex parte ex ipsa Scriptura depromptum : Contra quod quomodo κακιζει M. *Tombes* argutiis phaleratus videbimus.

2. Vir, inquit, *Eruditus Simon Fordus Concionator Redingensis in concione publica habita Oxonii retulit me provocasse Academiam ad disputationem &c.* Et verum quidem retulit, proinde nihil eo prestitit, quam quod eruditum Concionatorem decuit, nec ideo est quod M. *Tombes* (ut nihil de Mercurio Hebdomadali dicam) me in Epistola & postscripto, ipsum *Nominatim perstrinxisse* ægre ferat. Paulo autem inferius, *Multo*, inquit, *minus integra Academia &c. aut quisquam alius unquam a me ad disceptationem provocati sunt.* At cum id animadverterint fere omnes, hisce auribus ipse hauserim, prædicaverit M. *Fordus*, non persuadebit contrarium M. T. etiamsi persuaserit. Paulo vero post verba habens de sententia (circa Pædobaptismum) convocationis contra solenne fœdus factæ, dicit D. *Savagius forsan aliqua pars istius Convocationis jam aliter statuit.* Sed forsan peregre eram, Certo certius non Oxonii, quod tum ab ineunte *Anno* 1644 mihi non contingerat videre; nec solus interim M. *Tombes*

alimonia

alimonia caruit; cum providentia Dei ita comparatum fuerit, ut a tempore prædicto usq; ad medium Anni 1649. parum ipse commodi perceperim, quamvis hæreticum nihil vel schismaticum statuerim.

Cælum non animum mutant qui trans mare currunt. Si vero mutassem sententiam (modo in melius fuisset,) feciſſem Deo & sanctis Angelis gratissimum. Ipse M. *Tombes* olim fuit aliqua pars Convocationis & Congregationis de Pædobaptismo recte sentientium, tamen jam aliter statuit, imo aliter quam antea, usq; ad ætatem satis provectam, Synodumq; *Westmonasterienſem* coactam prædicaverat: qua autem ratione ductus ab ea Synodo primum dissentiebat, viderit ipse; Andabatarum more pugnare non cupio, nec ex aliorum rumoribus vel conjecturis aliquid statuo, quo autem animo sic in tenebris a Magistro *Tombes Andabatarum more pugnatum est*, haud difficile est conjectare. *Domine ne statuas ei hoc peccatum*; atq; hæc sufficient ad Epistolam Dedicatoriam annotasse.

3. Sectione prima dicit M. *Tombes* me edidisse *Quæstiones tres in novissimorum comitiorum vesperiis Oxon: discussas. An hoc* inquit *dici possit de secunda, super qua nulla oppositio facta est, viderit ipse.* In tenebris hic etiam pugnat M. *Tombes*; a me autem satis prospectum est huic rei, cum in parte Anascevastica Secundæ Quæstionis, proponatur & solvatur argumentum palmarium adversariorum: Nam *E. G.* si quis serviens ad Legem coram Honoratissimo Domino Præside primario, sive aliis Justiciariis communis *Banci* apud *Westmonasterium*, primo causam ageret Querentis, deinde vero partes susciperet Defendentis (sic enim olim accidisse traditur) non incongrue dicendum esset *causam esse discussam*; præterea dico *Georgium Abbots* olim

Socium *Collegii Baliolenſis*, poſtmodum vero *Archi-Epiſcopum Cantuarienſem*, ad Lectiones ſex pro forma quum ſc. gradum Doctoratus ambiret, in *Schola Theologica* habitas, præfari *Quæſtiones* (in quibus etiam de Baptiſmo agitur) inibi *diſcuſſas* eſſe, etſi nulla prorſus (uti mos eſt) oppoſitio facta fuerit. Paulo autem inferius M. *Tombes* de me verba habens in *Epiſtola*, inquit, *ait me non modo Linguis ſed & Calamis inſectatum, recrudeſcente inſuper vulnere rebaptizatum &c. Tragediam putares agi &c.* & merito quidem talem: nec aliud putat ipſe M. *Tombes* a ſerio Antagoniſta expectandum; & *certe Tropum neceſſitas genuit, inopia coacta & anguſtiis, poſt autem delectatio jucunditaſq; celebravit, uti Audom. Talæus Rhet: L: 1. c: 2.* Allegoriâ vero uſus ſum nec incongrua nec inaudita, quum Plato in *Euthydemo* dicat, quod *Cum Socrates* βαπτιζόμενον τὸ μειράκιον baptizatum juvenem *Cliniam* h. e. quaſi obrutum & *pene ſuccumbentem* in Lycæo Sophiſticis Euthydemi argumentis conſpexerit, *conſolatus eſt.* Eodem modo me vidi Sophiſmatis M: *Tombes* Mercuriis, rumoribus variis quaſi baptizatum rebaptizatumq;, ſpeq; a dverſariorum animam agentem quibus quam citiſſime obviare neceſſarium duxi. Utinam autem eo, vel ſaltem haud iniquiori animo hæc facta fuiſſent, quam quo ea ab Euthydemo &c. Fiebant, quos ibi *Socrates* teſtatur idem *feciſſe, quod in Myſteriis Corybantes ſolent, cum quē initiaturi ſunt, in ſolio Collocant, applaudunt Choreas juxta ducunt. Ludunt ſimiliter inquit Socrates, iſti nunc, & circa te choreas ducunt ac ſaltant, quaſi quem expiant nunc, mox ſacris ſint initiaturi. Itaque impræſentiarum primas quaſdam Sacrorum Sophiſticorum celebrari puta.* At pergit M. *Tombes* dicens, *Adeo ut tantum non non in ἄδυ deſcenderit Creditis? An*

Doctor

Doctor iſte Lectori ſomnia Narrat? Nugæ certe hæc nugaciſſimæ. Quid quæſo incommodi ſuperfuturum eſt veritatibus fidem adhibenti, quanquam pro nugis a M. *Tombes* habeantur? *Quis tulerit Gracchos &c:* Nugatur is qui ſæpius idem dicit, *Ariſt: Elench:* 3. Quis igitur nugis delectari videtur magis quam qui toties nobis recoctam Crambem appoſuit & appoſiturum minatur, quotannis novavetera ſophiſmata inculcando, ut quos argumentorum pondere vincendos deſperat, inutilium verborum tædio afficiat? At *nec Linguis*, inquit, *nec calamis ipſe infectatus.* Ergo Mr *Tombes* elinguis ampullas projecit, & elinguis falſi ſuppoſitionem inſimulavit: elingues etiam rumores in vulgus diſſeminarunt: Chartæ denique Mercuriales Scriptæ fuerunt ſine calamis; quanta eſt hæc Miraculorum congeries? Ad hæc Adverſarios, inquit Mr *Tombes, Andabatarum more pugnare ait &c. ſi dicat hoc itidem de profeſſore in Theologia jam publico, Doctore Henrico Wilkinſono, dicendum erit eum Andabatarum more pugnaſſe.* Quid per adverſarios intelligendum ſit, ſatis ex ſuperioribus in eadem Epiſtola Liquet; nec de iis omnino qui (quemadmodum D. *Wilkinſon*) docte & modeſte pro ſuo ipſorum munere ſeſe geſſerunt, intelligi vellem, non eſt mihi animus veſtigia M. *Tombes* premendi, quotannis Novum mihi creando adverſarium: Satis mihi eſt unus, ſatis nullus. Fruſtra etiam eſt quod Mr *Tombes* dicit, *nec murmur nec ſibilum fuiſſe*, quum hæc omnes animadverterint; nec *pergit in fabulando Savagius*, cum fabulam huc uſq; nullam narraverit. At inquit ille, *ſi quis retulerit Doctori me palinodiam cecinisſe, ipſe falſus Doctorem fefellit.* Dixi ego M. *Tombes* palinodiam quandam cecinisſe, intellexi, h. e. aliquid palinodiæ analogum; eoq; Relator ingenuitatem

nuitatem M. *Tombes* commendaret. Insuper *Me* inquit *spatium sobriis disputationibus destinatum jurgiis & ampullis impendere gestivisse, fabula est.* At revera illum jurgiis & ampullis tempus impendere gestivisse, qui, cum probaret, incusabat suppositionem falsi, & Academiam ad disceptationem provocabat, fabula non est. Nec mihi in animo unquam fuit (quod sequentia videntur suspicari) eo doctrinam vel dona M. *Tombes* perstringere: quæ, quicquid sunt, utinam in Dei gloriam & Ecclesiæ unitatem sobrie & recte impenderet. Plus, crede mihi, consolationis inde sibi pullularet, quam si me, aut *Vossium* ipsum, vel totam Literatorum turbam vicisset & triumphasset. Ea sola ratio supereſt, semetipsum ὑπερνικῶντα præstandi. M. *Tombes* ulterius addit (at quo ductus argumento nescio) *quod dixerim se hominem in Concionibus frequentissimum, probro sibi non ducere.* Nec ego quidem: ideoq; *Laudatissimum* adjeceram, si perversum dogma hoc auditoribus suis e suggesto sæpius non propinasset: *Laudabo* eum *in hoc*? *non Laudo*, 1 *Cor.* 11. 22. quid probro ducendum sit, satis e verbis ipsis liquet, si ipse Commenti ibidem notati author extiterit, nam

---- *tanto conspectius in se*
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Quod autem de purpura in principio istius sectionis, de *Doctore* & *Doctoribus* in fine, *per antiphrasin a non docendo dictis* (*sicut mons a non Movendo*) Loquitur; præterea *Iste Doctor, circulantis Doctoris* & hujusmodi (quæ sparsim apud eum reperiuntur) superc lioſe & illiberaliter dicta, quid aliud sonant, quam eam esse humanæ naturæ impotentiam, ut quæ apta nata sit etiam non purpurata, ultra purpuram superbire.

SECT.

SECT. II.

Defenduntur partes proparaſceuaſtica & Paraſceuaſtica Quæſtionis de Pædobaptiſmo. Vbi agitur de immerſione & de aſperſione, de Celtarum conſuetudine. Naudin contra Meſtrezatium perſtringitur. Lucta & Vagitus infantum unde? ἀνακόλουθα oſtenduntur.

HÆC Sectio tota impenditur a M. T. probando Baptiſmum nihil habere commune cum *Rantiſmo*, id eſt aſperſione, nec cum *infuſione*, nec cum *lotione*, nec cum *lavacro*; fieri etiam cum *lucta* & *vagitu infantis*; & affirmando *Miniſtrum iſtius Rantiſmi nihil in animo habuiſſe, imo nec quenquam alium aſſiſtentium, quam ut opipare convivarentur*; & proinde (hæc enim eſt cauda Draconis) *Doctorem Savage non eſſe baptizatum, ſed forſan a non prædicante ſacerdote maditatum tantum.*

Pro reſponſione primo attendamus Candori *Thomæ Aquinatis* ipſius licet immerſionem potius probantis Tertia parte *q.* 66. *Art.* 7. in Corp. Art. ubi dicit, *Quod aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum ablutionis Corporalis per quam ſignificatur interior ablutio peccatorum; ablutio autem fieri poteſt per aquam non ſolum per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis vel effuſionis, & ideo quamvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis (quia hæc habet communior uſus) poteſt tamen fieri baptiſmus per modum aſperſionis, vel etiam per modum effuſionis, ſecundum*

cundum illud Ez. 36. *effundam ſuper vos aquam mundam: ſicut beatus Laurentius Legitur baptizaſſe. Et hoc præcipue propter neceſſitatem: vel quia eſt magna multitudo Baptizandorum: ut patet* Act. 2. 4. *Ubi dicitur, quod crediderunt una die tria millia & alia die quinq; millia. Quandoq; autem poteſt imminere neceſſitas propter paucitatem aquæ, vel propter debilitatem miniſtri, qui non poteſt ſuſtentare baptizandum: vel propter debilitatem babtizandi, cui poteſt imminere periculum mortis ex immerſione, & ideo dicendum eſt, quod immerſio non eſt de neceſſitate baptiſmi.* Arguitur autem ſic in contrarium. *Videtur autem, quod immerſio in aqua ſit de neceſſitate baptiſmi. Ut enim dicitur* Eph. 4. *Una fides unum baptiſma. Sed apud multos communis modus baptizandi eſt per immerſionem, ergo videtur quod non poſſit eſſe baptiſmus ſine immerſione. Cui reſpondet ille, quod ea quæ ſunt per accidens non variant ſubſtantiam rei. Per ſe autem requiritur ad baptiſmum corporalis ablutio per aquam, unde & baptiſmus Lavacrum nominatur: ſecundum illud* Epheſ 5. *Mundans eam Lavacro aquæ in verbo vitæ. Sed quod fiat ablutio hoc vel illomodo accidit Baptiſmo. Et ideo talis diverſitas non tollit unitatem baptiſmi. Objicitur ſecundo, quod Apoſtolus dicit* Rom. 6. *quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: Sed hoc fit per immerſionem: dicit enim* Chryſoſtomus *ſuper illud* Jo. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua ex Spiritu S. &c. ſicut in quodam ſepulcro in aqua ſubmergentibus nobis capita, vetus homo ſepelitur & ſubmerſus deorſum occultatur, deinde novus rurſus aſcendit, ergo videtur quod immerſio ſit de neceſſitate baptiſmi. Cui reſpondetur, quod repræſentatur ſepultura Chriſti aliquo modo aliis modis baptizandi, in quantum*

tum aliqua pars baptizandi aquæ supponitur eaq; principalis pars, caput sc. *in quo vigent omnes sensus interiores & exteriores.*

2. Jam an minister caput meum in Baptisterium immerserit (uti ni fallor morem ei fuisse ferunt) nec scio, nec sum sollicitus ea de re; si ulterius per totius corporis immersionem, baptizatus essem, procul dubio actum esset de me propter aeris tunc temporis inclementiam, cum omnia in nivem & glaciem riguerunt; & sic M. *Tombes* me hoc tempore Antagonista caruisset. Eo enim mollitiei jam dierum deventum est, quod si eadem inter nos, ac olim apud *Celtas*, consuetudo obtineret; qua in *frigidum amnem nati, ut ad frigoris patientiam assuefierent immergebantur*, ut testatur *Arist. Pol. L. 7. C. 17.* pauci quidem infantes diu post baptismum superessent. Ubi non prætereundum duxi quod Philosophus eo loci usurpet vocabulum ὑποβάπτειν, non simpliciter βάπτειν, aut βαπτίζειν quod Emphaticũ est, totalem immersionem, & quasi plenã & profundam in aqua sepulturam denotans; cum βαπτίζειν Lotionem & ablutionem frequentius significet. *Mar. 7. 4.* ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι & Luc. 11. 38. ὁ δὲ φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου. Quæ de totali immersione nemo sani Syncipitis intelligeret. Marcus enim loco citato dicit eos a foro venientes observasse βαπτισμοὺς *poculorum & sextariorum, & æramentorum & Lectorum* (κλινῶν) quod si de immersione, non aspersione sive Lotione, intelligeretur, quale oporteret labrum habere, qui talia caperet, quantum esset temporis dispendium, quanta molestia quanta in desiccationibus mora, quanta deniq; omnium rerum (non annua solum ut insulse vult *Theodorus Naudin* contra *Mestrezatium*, sed) quotidiana Confusio.

Quod autem M. *Tombes* dicit neque Miniſtrum olim nec aſſiſtentes *quidquam in animo habuiſſe aliud quam ut opipare convivarentur.* Multum ipſi non ſolum ſanæ Doctrinæ ſed & charitatis eo deſideratur. Sanæ doctrinæ, quum Papiſmum redoleat; acſi Sacramenti vis dependeret ab intentione Sacerdotis; charitatis, pias hominum intentiones temere condemnando.

Quod ad luctam & vagitum attinet, dicimus quod circumciſio non ſine lucta & vagitu fiebat; hinc tamen Infantes fœderatorum non erant eximendi, proinde nec ſunt hodie a baptiſmo arcendi, quanquam occaſionem forſan Luctæ & vagitus præberet. Verum quamvis illa (ſacramentum enim fuit cruentũ) circumciſis graviſſimam creârit moleſtiam, Longe aliter ſe res habet cum baptiſmo, in quo nihil lugubre aut moleſtum deprehendo, præter frigora quæ more noſtro baptizandi ſatis caventur: cauſa igitur vagitus rectius a *Cypriano* (de quo ſuo loco) & ab *Auguſtino de Civ. Dei. l.* 21. *c.* 14. petenda eſſet. *Quis* inquit *non exhorreat & mori eligat, ſi ei proponatur, aut mors perpetienda, aut rurſus infantia? quæ quidem, quod non a riſu, ſed a fletu orditur hanc lucem, quo quid malorum ingreſſa ſit neſciens prophetat quodammodo. Solum quando natus eſt riſiſſe ferunt Zoroaſtrem, nec ei bonum aliquid monſtroſus ille riſus portendit. Nam Magicarum artium perhibetur fuiſſe inventor, quæ quidem illi nec ad præſentis vitæ vanam felicitatem contra ſuos inimicos prodeſſe potuerunt. A Nino quippe rege Aſſyriorum, cum eſſet ipſe Bactrianorum bello ſuperatus eſt &c.* At his omnibus datis, quid inde ſequeretur? Infantes non ſunt aſpergendi, ergo non ſunt babtizandi? Infantes non ſunt abluendi, ergo non ſunt baptizandi? Infantes inter baptizandum vagitum edunt,

ergo

ergo non ſunt baptizandi? Adducentes infantes ad templum de convivio ſomniant, ergo infantes non ſunt baptizandi? D. S. fuit forſan madidatus tantum, ergo pro certo infantes non ſunt baptizandi? His addo, quod pene omiſeram, Miniſter peracto baptiſmo, Morem gerebat Epiſcopo, & Parochianis, ergo infantes non ſunt baptizandi? Imo Pædobaptiſmus Ethniciſmum redolet? Vel probet M. *Tombes* iſtas conſequentias vel murmur & ſibilum patienter ferat.

SECT. III.

Argumentum primum pro Pædobaptiſmo vindicatur. Fœdus Gentilitium, Papiſticum probatur; de Liberis ignotorum, Nothorum, hypocritarum, & flagitioſorum agitur; inconſequentiæ autem M. T. notantur, una cum claudicatione diſtinctionis.

AD Argumentum primum meum pro Pædobaptiſmo, dicit M. *T. ambigua plurima inibi eſſe, falſa plurima*; primo igitur quod dixerim, probari minorem *ex formula fœderis* Gen. 17. 7. (*promiſſionis* non dixi) non arridet *M. T.* etſi Deus in ſingulari numero toties dixerit *Fœdus* non *fœdera* Gen. 17. 2. *diſponam* fœdus *meum inter me & te*, v. 4. *Ecce* fœdus *Meum tecum*, v. 7. *ſtabilio autem* fœdus *meum &c. ut ſit* fœdus *perpetuum*, v. 9. *tu ergo* fœdus *meum, ſervato*, verſ. 10. *hoc eſt* fœdus *meum* verſ. 11. *circumcidatur omnis Mas, ut ſit ſignum* fœderis *inter me & vos*, v. 13. *ſic erit* fœdus *meum in carne veſtra in* fœdus *perpetuum*. Quantum autem ad promiſſionem. Spiritus

Sanctus in ſingulari numero dicit. *Vobis facta eſt promiſſio*, Act. 2. 39. tamen *inique*, inquit *M. T. dicitur unica promiſſio* ac ſi Spiritus Sanctus loqui apte non noverit, dicimus tamen iſtam promiſſionem poſſe habere plura membra, quamvis omnia non ſint ejuſdem ordinis, dignitatis & perpetuitatis: cum quędam ſint Eſſentialia, quędam accidentalia & velut appendices promiſſionis, unica interim manente promiſſione, ſecundum illud, 1 *Tim* 4.8. *pietas ad omnia utilis eſt, ut quæ* promiſſionem *habeat vitæ præſentis ac futuræ.*

2. Dicit *M. T. quod non probabit Doctor iſte baptiſmum a Chriſto inſtitutum eſſe ſignum iſtius fœderis, nullibi*, inquit *quod ſcio, in tota ſcriptura ſacra Baptiſmus aquæ ſignum fœderis alicujus dicitur, multo minus iſtius.* Reſpondeo *M: Tombes* Sect. 2. fateri *Baptiſmum eſſe militiæ Chriſtianæ ſymbolum & auctoramentum* eoq; *ſignum* eſſe confitetur: *h.e.* ſignum initiationis in militia Chriſtiana, recenſionis inter membra Eccleſię & milites Chriſti, admiſſionis in Scholam & diſciplinam Chriſtianam. Emancipationis in viſibile regnum Dei. Hiſq; addo, eſt ſignum aſtipulationis, quo Deus fœdere promiſit ſe baptizatorum Deum fore, & baptizati per ſe, vel per alios ſe ſervos & ſubditos Deo pręſtare repromittunt. Hanc autem partim ſuam ipſius ſententiam e ſacra Scriptura probari negat. At Reſpondeo, & ſuam & meam ſententiam liquido conſtare e Scripturis (forſan non diſertis verbis, tamen) κατὰ τὸ ἐπόμενον, idq; per immediatam conſequentiam, 1 *Pet.* 2.21. *Rom.* 6.3. ideoq, (vel ipſo M. *Tombes* annuente, Examinis *pag.* 110, 112.) ratam habendam eſſe.

3. At inquit M *Tombes*, *fœdus* iſtud Abrahæ factum eſt *Gentilitium*, ut vocat *Grotius &c.* Reſpondeo

1. Si iſtud fœdus ab ipſo mundi primordio, quoad ſubſtan-

ſubſtantiam obtinuerit tum non eſt gentilitium; at ab ipſo mundi primordio quoad ſubſtantiã obtinuit ergo &c. probatur minor (nam major patet) ſi ab ipſo mundi primordio *Deus fuerit Deus credentium & Liberorum eorum*, tum fœdus iſtud ſemper ſic ab ipſo primordio Mundi obtinuit: at verum eſt prius (in *Seth* & ſemine ejus, in *Sem* & ſemine ejus) ergo poſterius.

2. Si fœdus pactum fuerit cum Abrahamo quatenus patre Communi Gentium credentium æque ac Judæorum, tum fœdus non fuit *Gentilitium*; at pactum fuit cum *Abrahamo* quatenus Communi parente fidelium, æque ac Judæorum, ergo non fuit Gentilitium; Major patet. Minor probatur *Rom.* 4. 11, 12, 13. *Gal.* 3. 8, 27, 28, 29. Priori enim Loco dicit Apoſtolus quod *Abraham Signum accepit ipſam circumciſionem, & ſigillum juſtitiæ fidei ſuæ, quæ fuerat in præputio, ut eſſet pater omnium illorum, qui credunt ex præputio, quo imputaretur etiam eis ad juſtitiam, & pater circumciſionis iis videlicet, qui non ſolũ ſunt ex circumciſione, ſed etiam qui incedunt per veſtigia fidei patris noſtri* Abrahami, *quæ fuit in præputio, &c.* Loco autem ſecundo dicit, *Benedicentur in te omnes Gentes.* V. vero 27, 28, 29. *quicunq; in Chriſtum baptizati fuiſtis, Chriſto fuiſtis induti. Non eſt Judæus, neq; Græcus, non eſt ſervus neq; Liber, non eſt maſculus aut fœmina, omnes enim vos unus eſtis in Chriſto Jeſu, quod ſi vos eſtis Chriſti nempe* Abrahami *ſemen, eſtis & ſecundũ promiſſionẽ hæredes.* 2° dico, quod iſtud Papiſtis acceptum referri probatur a Chamiero, dicunt enim üs in *promiſſione Abrahæ facta nullam fuiſſe promiſſionem remiſſionis peccatorũ, ſed peculiaris protectionis & gubernationis ac terrenæ felicitatis; ſic Bellarminus, Stapletonus & Tecanus*, etſi Vaſquez aliter ſentiat. At reſpondeo, quod ſi de fælicitate ſolum terrena promiſſio eſſet, vix ullus omnino fructus ad eum aut po-

ſteros rediiſſet. Non ad filium *Iſaacum*, nec ad *Jacobum*, qui agnoverunt ſe peregrinos & infœlices. Nam *Jacobi* verba fuere Gen. 47. 9. *Pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ* Meæ. Aut igitur in iis mendax fuit promiſſio, quod abſit, *vel* non tota fuit de temporali fœlicitate etiam ſecundam literam, nam illud *Deus tuus & ſeminis tui*, Chriſtus directe intelligit de fœlicitate poſt hanc vitam, eaq; omnium reſurrecturorum Communi, *Mat.* 22. Ideoq; fœdus conceptum his verbis [*ero Deus tuus & ſeminis tui*] perperam explicatur de terrena fœlicitate, ſive præcipua ſive ſola. *Agnoſco* inquit Chamierus *ſtatim annecti promiſſionem terræ chanaan, ſed hoc nullum argumentum eſt excludendæ beatitudinis cœleſtis a fœdere* (nec aliarum Gentium a participatione ejuſdem fœderis) *non enim id fœdus eſt ſed fœderis appendix, nempe ut pietati factæ ſint promiſſiones vitæ præſentis & futuræ* 1 Tim. 4.

4. Dicit M. *Tombes*, quod *nihil baptiſmo teſtantur fœderis inſcii & plane inviti baptizati.* Præterea quod *nihil ſignificatur infanti, cui nullus uſus rationis, qua ſignificatio fœderis diſcernatur.* Reſpondeo, quod circumciſio itidem erat ſignum & ex parte circumciſi & circumcidentis. Quæro igitur an circumciſio aliquid utrovis modo ſignificavit vel non? Si non ſignificavit, tum fruſtra inſtituta erat, quod non eſt dicendum (a Deo enim fuit inſtituta) ſi ſignificavit, pari ratione baptiſmus ſignificare poteſt, & ex parte baptizati & baptizantis.

5. *Ex parte Dei nihil ſignificare vult baptiſmum* M. T. quia *Deus ſe pollicetur eſſe Deum electorum tantum & fidelium, non infantium fidelium quorumlibet.* Reſpondeo quod negavit modo M. T. *baptiſmum eſſe ſignum alicujus fœderis*: jam *electis & fidelibus ſignum* eſſe concedit

dit. Sed hæc obiter; at eo modo argumento huic reſponderi poteſt, quo præcedenti, nempe ſi circumciſio quidquam ſignificaverit circumciſis quibuſlibet Judæorum fidelium infantibus, tum baptiſmus etiam aliquid ſignificat infantibus fidelium e Gentibus, at circumciſio ſignificabat eo quo diximus modo ex parte Dei, ergo & baptiſmus.

6. *Baptiſmus* inquit M. T. *non eſt ſignum convertibile cum fœdere ut Doctoris verba præ ſe ferunt; quia cœna Dominica eſt etiam ſignum fœderis.* Reſpondeo, quod falſiſſimum eſt Doctoris verba præ ſe ferre baptiſmum eſſe ſignum convertibile cum fœdere, quoniam baptiſmus eſt ſignum fœderis non unicum autem, quum cœna Domini ſit etiam ſignum fœderis quamvis diverſo reſpectu, ut inferius patebit amplius.

7. *Si* inquit M. T. *ratio valet ad probandum jus infantis ad baptiſmum, ratio eadem probabit jus ejus ad cœnæ Dominicæ ſumptionem: nec diſpar, inquit, eſt ratio ex præcepto, quum ſæpius mandatur reſipiſcentia & fides ante baptiſmum quam ante cœnam Dominicam.* Reſpondeo, Longe diſparem eſſe rationem quoniam requiritur fides & reſipiſcentia ante baptiſmum in Adultis tantum, in locis illis a M. *Tombes* allatis ex *Act*: 2. 38. & 8. 36, 37. non in Infantibus.

8. Affert M: *Tombes* variam ſeminis *Abrahæ* acceptionem, inquiens, *aliud eſſe ſemen per excellentiam, Chriſtum; aliud ſpirituale, aliud naturale, idque vel adeundæ ipſius hereditati Natum, Iſaacus ſc. &c. vel non hæreditatem Abrahæ adiens, ut Iſmael &c. Nec aliud ſemen Abrahæ indicare Scripturam, Licet Pædobaptiſtæ liberos naturales Gentilium fidelium ſub Abrahæ ſemine comprehendi fingant, quos dixerunt Abrahæ ſemen Eccleſiaſticum.* Reſpondeo de Liberis fidelium. Quod ſi parentes ipſorum

rum in ſemen *Abrahæ* recenſeantur, virtute promiſſionis, & ipſi in ſemen recenſendi ſunt, & quoniam ſub eodem Regimine Eccleſiaſtico cum parentibus meruerint, haud inepte dici poſſunt qua tales ſemen *Abrahæ* Eccleſiaſticum, imo vel ſpirituale, in quantum Eccleſiaſtica adminiſtratio ſpiritualia reſpicit; ideoq; M: T. non ſatis argute diſtinxit, ſed forſan de induſtria hoc omiſit. At *nullo* inquit, *quod ſciam, ſenſu pollicitus eſt Deus ſe Deũ fore* Abrahæ *ſemini naturali hæreditatẽ ipſius non adeunti &c.* paulo poſt adhibet rationẽ aſſertionis, dicens, *In cujus rei ſignificationem circumciſio adhibita, quæ cum fœdere hoc, alioq; ad montẽ Sinai inito Evanuit, quanquam fœdus Dei renovandum ait Apoſtolus* Rom: 11. 26,27. *cum poſteris Iſraelis quum rurſus inſererentur.* Reſpondeo, quod promiſit Deus ſe Deum fore ſemini naturali *Abrahæ* hæreditatem ipſius non adeunti quoad promiſſiones Corporales, proinde aliquo ſenſu Nec excluſit eos Deus a promiſſionibus ſpititualibus, modo fidem amplecterentur: idq; probatur iiſdem Scripturæ Locis quos attulimus ad probandum fœdus *Abrahamo* factum non fuiſſe Gentilitium *viz: Rom*: 4. 11, 12, 13. *Gal*, 3. 8, 27, 28, 29. promiſſio enim facta *Abrahamo*, *Gen.* 17. 13. fuit tanquam patri communi, & exemplari omnium fidelium; ita ut proſelyti in fœdere recenſerentur, *Exod.* 12. 48. Quod autem ad rationem iſtius aſſertionis attinet, dico quod exoriente ſole juſtitiæ ſignum hoc evanuit, fœdus vero cum *Abrahamo* pactum nequaquam imminutum eſt; nam ab *antiquatione* ſigni ad abolitionem fœderis non ſequitur argumentum, cum *voluntarium* ſit non *naturale*. Imo fœdus irritum factum fuit nec ex parte Dei promittentis, nec ex parte Eccleſiæ repromittentis, idque nec ex parte Chriſti capitis, nec membrorum in

quan-

quantum conditiones, quas Iſraelitæ ex vera olea exſecti jamdiu neglexerunt, a Gentibus inibi inſitis præſtandæ ſunt, donec plenitudo Gentiũ introierit. Quemadmodum in muſica ſive ſit diatonica ſive chromatica aut (ſi iſta dichotomia *Clementis Alexandrini* non contenti ſint *Neoterici*) harmonica, hinc ſilent inde ſonant chordæ; hi pauſis utuntur dum alii ſonorũ conſequentiã proſequuntur, donec omnes in unũ chorum conſpiraverint. Deus itidem omniũ μυστικῶς & in Eccleſia feciſſe videtur cum Judæis & Gentibus Rom. 11. 30, 31, 32. *Sicut enim & vos quondam inobedientes fuiſtis Deo, nunc autem eſtis Miſericordiam conſecuti per iſtorum contumaciam, ſic & iſti nunc inobedientes fuerunt ut per veſtram miſericordiam & ipſi miſericordiam conſequantur; concluſit enim Deus omnes illos* (tum Judæos tum Gentes, inquit *Beza*, & ante illum *Auguſtinus*) *in inobedientia, ut omnium illorum miſereretur*; & quamvis pauſarum viciſſitudines habuerint, Symphoniam tandem perficerent. Fœdus vero quod Deus renovavit in monte Sinai cum populo Iſraelitico egreſſo ex Ægypto *Ex.* 19. non erat aliud ab illo cum *Abrahamo*, imo cũ *Adamo* ipſo poſt lapſũ pacto, nec a *fœdere* quod Deus nobiſcũ pepigit, etſi eorũ adminiſtrationes variæ fuerint.

9. Procedit M. *Tombes* ad diſtinctionem ñs (*in fœdere eſſe*) dicens inter alia, *Nonnullos ſalutem indubitatam fidelium filiis morientibus in ætate infantili promittere, nec putat Doctorem iſtum aliud hic velle*; ita enim uti ei mos eſt, de doctore hariolatur, ſed falſo: cum vero Antipædobaptiſta evaſero, eandem promittere forſan non dubitabo.

10. Proximo in loco rejicit M. *Tombes* opinionem eorum *Qui dicunt externam fœderis adminiſtrationem ad liberos fidelium pertinere*; *dicens eſſe meram Ludificationem*

tionem Lectoris, quoniam ſæpe accidit ut externæ adminiſtrationis non ſint participes, imo nec capaces Ex. Gr. *ſemen in partu moriens.* 2. *Eſſe tautologiam ineptam quia fœdus & ſignum fœderis coinciderent, atq; ita medius terminus idem eſſet cum majore & ingrederetur concluſionem, major vero propoſitio eſſet identica & nugax, minor itidem & concluſio tautologicæ*, unà cum aliis ejuſdem farinæ ſuperfluis puerorum argutiis. Ad primum dico, quod pari ratione argueretur externam fœderis adminiſtrationem ſub lege ad Liberos fidelium pertinere, cum legitur, eſſe meram Ludificationem Lectoris, quoniam ſæpe accidebat ut externæ adminiſtrationis non eſſent participes, imo nec capaces; *E. G* Maſculus ante octavū diem moriens, & omnes in deſerto nati, ibidemq; fato functi. Ad ſecundum dico quod hac in re M. *Tombes* ſeipſum Ludificatur maxime, Cenſendo *eſſe capacem baptiſmi & actualiter baptizari* idem eſſe; & propoſitionem hanc ſc. *quicunq; capax eſt baptiſmi baptizandus eſt*, vel hujuſmodi, eſſe identicam & nugacem, cum nihil aliud ſonent, quam (*Qui jus habet ad rem recte poſſit habere jus in re*) *qui habet jus Emancipationis poſit licite emancipari: qui natura Liber eſt, poſſit licite habere Libertatem ſignatam & ſigillo Eccleſiaſtico Confirmatam.* Potentia & actus non ſunt idem, ſignum & ſignatum differunt, etiam cum Acolaſtus & Cornelius ſeipſos repreſentent in Comædia.

11. *De omnibus* inquit M. *Tombes*, *infantibus fidelium qualitercunq; ſint fideles, veriſimile eſt eum intelligere. Nam ſic habet praxis uſitata, quam* Doctor *iſte videtur tueri fidejuſſorum uſum probando, ut* ſc. *omnes filios Anglorum apud nos natos ſive Nothi ſint ſive legitimi, parentibus Ortos ſive notis ſive ignotis, etiam hypocritis*

inſciis

inſciis & flagitioſiſſimis baptizent. Re[illegible]. c. Chriſtianorum Conſtituat Eccleſiam domeſticam; ſi e congregatioue Chriſtianorum coaleſcat Eccleſia Congregationalis (quemadmodnm primis Apoſtolorum temporibus, imo in ipſo fere mundi primordio, aliiſq; temporum periodis factum fuiſſe Legimus) natio etiam fidelium poteſt conſtituere nationalem Eccleſiam (quod patet in Judæis) & conſequenter Gens Anglorum [Chriſtiana cum ſit] conſtituit Eccleſiam Anglicanam (poſſuntne *Regna mundi* fieri *Regna domini noſtri & Chriſti ejus* Rev. 11. 15.. interim ut non ſint Eccleſiæ?) cur igitur arcerentur a baptiſmo infantes Anglorum fidem Chriſtianam profitentium? Si parentes per Apoſtaſiam deſeruerint fidem, liberi iiſdem prognati non ſunt inter ſanctos & fideles recenſendi, quemadmodum nec erat Liberi Judæorum ipſorum qui defecerunt. De *ignotis* dico, quod eorum infantes non ſunt in Nationali Eccleſia arcendi a baptiſmo, quum fide vel ſua vel aliorum data Eccleſiæ, vel *Shiboleth* audito pro Chriſtianis merito reputandi ſunt. De Nothis vero quæro an rejecti fuerint a fœdere ſub lege? Quod non affirmabit M. T. de Pharez *Zarah* & *Jeptha*. Quod autem ad locum illud Deut. 23. 2. *Spurius ne venito in congregationem Jehovæ, etiam decima ejus generatione, ne venito in congregationem Jehovæ*: non inde probatur Nothos eſſe impuros; eadem enim erat Lex *vulneratis teſte, & eunuchis* Lata v. 1. ejusdem capitis; qui interim pro immundis non habebantur, quoniam licuit eis paſcha comedere. *Ne* igitur, *venito in congregationem*, h. e. inquit Junius *ne adminiſtrato; munus publicum in populo Dei, ne gerito. Nam hæc quo minus de interdicto a ſacris accipiantur impediunt Leges* Exod. 12. 48. Levit. 22. 18. Num. 9.

14. *De interdicto quoq; matrimonio intelligi non debere, vel Ruthæ exemplum oſtendit, quæ Moabitis cum eſſet, interveniente Magiſtratus authoritate, totiuſq; populi acclamatione Bohazo Iſraelitæ nupſit. Si quis objiciat Jephtham fuiſſe ſpurium, publicam tamen adminiſtrationem geſſiſſe. Reſpond. Intelligitur hic ſpurius ex Proſtibula ſeu publica Meretrice, qui ideo redderet adminiſtrationem probroſam, qualis non erat* Jeptha; *fuit enim ex concubina genitus. 2. Ille extraordinarie vocatus a Deo erat; qui enim ordinariæ vocationis leges indixit hominibus, non impoſuit neceſſitatem ſibi.* Ad *Hypocritas* quod attinet. Quis illos novit, dummodo Hypocritæ manſerint? quum Larvam ſemel exuerint (*& nemo poteſt fictam perſonam ferre diu*) hypocritæ eſſe deſinunt. De *Inſciis* dico, quod *ſurgunt indocti & rapiunt cœlum*, & quo minus ſapiunt argutiarum Tombeſianarum, eo ſaniores Chriſtiani (meo quidem judicio) cenſendi: de hac re autem audiat lector (non me, ſed) Fulgentium, Libro ad Donatum prope principium. *Hoc in te primitus in Nomine Domini Laudo, quia ſi tibi non fuit tanta reſpondendi facultas, permanſit tamen in cor tuo veritatis firma credulitas. Non enim omnes qui Chriſti participes ſunt etiam reſpondendo poſſunt defenſare quod credunt; ſed etiam illa pars eſt profecto victoriæ, ut quamdiu quis ſermone non poteſt defendere veritatem fideli tamen corde devitet errorem.* Sed de *Flagitioſiſſimis* remanet Quæſtio. Reſpondeo, quod flagitioſi vel deſinant eſſe fideles vel non? Si non, objectio in fumum abit. Sin deſinant, tum vel reſpectu externæ profeſſionis vel reſpectu internæ ſanctificationis. Neutrum vero dicendum eſt: quoniam flagitium in moribus, qua tale, non poteſt modo utrovis reddere hominẽ infidelem, niſi diſpoſitive tantum. Multi enim flagitia patra-

runt

runt, qui fidei nec re, nec verbo renunciarunt. 2. Si impietas Patris eſſet infanti impedimento, quo minus ad ſignũ fœderis admittatur, tum *Hezekiah* non fuiſſet circumciſus, cum patrẽ habuerit ſceleratum. At quid omnia hæc ad Rhombum? Liberi *Nothorum* non ſunt baptizandi ergo nulli infantes ſunt baptizandi? Liberi *Ignotorum* non ſunt baptizandi, *ergo* nulli infantes ſunt baptizandi? Liberi *Flagitioſorũ* non ſunt baptizandi, *ergo* nulli infantes ſunt baptizandi? Liberi *Hypocritarũ* non ſunt baptizandi, *ergo* nulli ſunt baptizandi? liberi *Inſciorũ* non ſunt baptizandi, *ergo* nulli ſuut baptizandi. Negantur hæc *argumenta* ad *Græcas Calendas* confirmanda.

12. His inquit M. T. *præmiſſis &c. vel ſunt in fœdere quoad promiſſionem gratiæ ſalutiferæ, vel reduplicative, h. e. qua infantes fidelium, vel quoad externam adminiſtrationem.* Reſpondeo, eo, quo decet ordine: Infantes fidelium qua tales, eſſe in fœdere, ideoq; jus habent ad externam baptiſmi adminiſtrationem: in quibus M. *Tombes* tautologiam ſupponendo ſemetipſum Ludificari probavimus: Quod autem dicit, *vel quoad promiſſionem gratiæ ſalutiferæ*, in eoq; acquieſcit, claudicat ejus diſtinctio uno pede; quum promiſſiones gratiæ ſint duplices; aliæ abſolutæ, Circumcidendi *ſc:* cordis; noviq; cordis creandi &c. Aliæ conditionales, remittendorum ſcil. peccatorum & vitæ æternæ &c. Jamq; dicimus promiſſionem factam eſſe liberis fidelium univerſim, non abſolutam, gratiæ *ſc.* ſalutiferæ (ea enim ſolis electis convenit) ſed conditionatã, remiſſionis *ſc:* peccatorum & vitæ æternæ, quæ promittuntur ſub conditione ſalutiferæ gratiæ, 1. Fidei & pœnitentiæ &c. pertinentq; non ad electos tantum ſed & ad omnes fidelium infantes in facie viſibilis Eccleſiæ; quamvis qui non pertinent ad electionem gratiæ, quum adoleverint, ſemetipſos ita promiſſorum,

per incredulitatem incapaces testati fuertint, sarta interim tecta permanente promissione Dei, *Rom.* 3.3. *Rom.*9. 4,5,6.

SECT. IV.

Confirmatur major propositio, exponitur μαθητεύσατε Mat. 28.19. *Latebræ* M. *Tombes notantur.*

1. COntra ea quibus majorem propositionem astruximus, objicit M. *Tombes* non esse necessariam connexionem inter (*fœderatum esse*) & *signandum esse*) *etiamsi daretur infantes fidelium esse fœderatos & baptismus sigillum fœderis gratiæ dicendus esset.* Respondeo, dicendo esse necessariam connexionem, non necessitate *Naturali* [cum signa sacramentalia sunt *arbitraria* non *naturalia*] sed necessitate *Morali*, quia præcipiuntur a Deo: de quibus mandatum, cum affirmativum sit, obligat *semper*, sed non *ad semper*, idq; non ante legem de iisdem signis sancitam. At quid hoc ad Rhombum hic loci? Cum major propositio hæc sit. Eis qui sunt in fœdere *licet* adhibere fœderis signum; Non *necesse est* adhibere fœderis signum; (quapropter frustra nos mittit ad examen aut Additamentum &c.)

2. *At neq; probatur hoc ex locis allatis* inquit M.T. *& primo non ex Ge.*17.13,14. *quia ne verbulum quidem ibi est de baptismo, sed de circumcisione.* Respondeo, eadem ratione dici posse, Quemvis sanctissimum licet, non salvandum fore de quo ne *verbulum* quidem in scripturis reperitur; Sed falso, cum alii inibi legantur eundem

dem Deum colentes, eandem fidem profitentes, eodem baptiſmate abluti, eiſdem promiſſionibus gaudentes, ideoq; eadem fœlicitate donandi; non ſemper paritas verborum, ſed rationis ſæpe attendenda eſt. Dicimus igitur baptiſmum & circumciſionem eſſe ſigna fœderis, non autem ſimul ſed ſucceſſivè ab Eccleſia adhibenda; at ex *Gen.* 17. 13, 14. probatur circumciſionem eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti; pari igitur ratione ſequitur baptiſmum tempore a Deo (qui utrumque præſcripſit) definito, eſſe neceſſarium, multo magis Licitum. Quod uti diximus ulterius aſtruitur ex *Mat.* 28. 19. de quo inferius.

3. Objicit M. *Tombes Circumciſionem eſſe fœderis ſignum cum omnibus Abrahæ filiis pacti, ſive promiſſiones illis factæ fuiſſent ſive non, uti dicendum de Iſhmaele, &c.* Gen. 17. 19. &c. Reſpondeo, Circumciſionem eſſe ſignum fœderis *omnibus filiis Abrahæ* E. G. *Iſhmaeli &c. quoad corporales benedictiones; ſtabilivit autem Deus fœdus cum Iitzahaco ſpirituale præter benedictiones corporales ei cum Iſhmaele communes.* Sic *Junius. In ſignum*, inquit, *utriuſq; fuit, quod dixit Deus, circumcidetur omnis* Mas octiduus *&c. Sublato illo ſigno ſubſtitutum eſt aliud expreſſius & utrique ſexui commune.* Agnoſcimus etiam, (*fœdus perpetuum*) nihil aliud ſignificare, quam *fœdus non duraturum ultra Meſſiæ adventum.* h. e. quoad externam ejus adminiſtrationem, quæ fiebat per circumciſionem, fœdere manente inviolabili, quod jam obſignatur per baptiſmum. Quæ duo ſigna *variant tum in ſe, tū objecti amplitudine*, uti *Voſſius* ait; quod variant in ſe ſatis patet, variant etiam objecti amplitudine, quia *illic ſoli Abrahæ filii ſecundum carnem* (& adventitii) *circumcidebantur; hic univerſe omnes fideles* (e Gentibus) *etiam obſignantur.* Nec a *variatione*

one ſignorum ad variationem rei ſequitur Argumentum, in ſignis arbitrariis, cujuſmodi hæc ſunt, ut jam diximus. Nec ab amplitudine diverſa objecti ad diverſitatem objectorum ſequitur argumentum; quia iſta amplitudo poteſt conſiſtere in amplitudine materialis objecti, *ſc.* hominum credentium, vel in amplitudine circumſtantiarum, quæ habent ſe extrinſece ad objectum, quorum neutrum poteſt objecti formalitatem variare. Quod autem ad conditiones ad obſignationem requiſitas, *Ratio* Circumciſionis eaſdem ac baptiſmus (quoad intrinſecam fœderis naturam) *pœnitentiam* ſc. & *fidem* petebat; non aliter, ut diximus; male igitur M. *Tombes* a diverſa amplitudine objecti (de qua *Voſſius* vult intelligi, qui dicit illinc (ſoli) hinc (univerſe omnes) deducit diverſitatem conditionum objecti. Nec ſequitur quod M. *Tombes* addit, *Voſſium* dixiſſe *omnes fideles univerſe obſignari*, ergo fidelium *filios* non eſſe obſignandos; ſed contrarium potius: cum fidelium filii ſecundum carnem eo nomine obſignandi ſunt, quatenus ſc. ſunt fidelium filii, nec Excluſionem eorum e verbis *Voſſii* poſſibile eſt expiſcari. Quod ad circumciſionem attinet, quam *Voſſius* dicit eſſe *Legis Ceremonialis*, nihil aliud eo intelligitur quam non eſſe perpetuam, nec poſt Meſſiæ adventum duraturam, quod patet ex oppoſitione quam inſtituit inter eandem & obſignationem in genere quam ponit eſſe legis perpetuæ.

4. Concedit M. *Tombes* cum *Voſſio* eandem eſſe utriuſq; fœderis ſubſtantiam, tamen verbis ſequentibus contrarium perſuaderet, quoniam in quibuſdam promiſſionibus circumſtantialibus ſeu appendicibus variatur, ait enim M. *Tombes*, *Si hoc velit Voſſius &c.* acſi tam abſurdum homini Doctiſſimo accidere potuiſſet

isset, ad hanc autem objectionem plenius respondebitur suo loco.

5. Ad quod vero objicit *obsignationem fœderatorum non esse perpetuæ Legis* (quemadmodum *Vossius* Loquitur) *quia ante Abrahæ Nonagesimum Nonum annum plane inaudita erat.* Respondeo, obsignationem esse perpetuæ obligationis non a parte ante, sed a parte post Legem latam tantum, quum ante sanctionem nulla lex sit juris universalis, aut omnino obligat, quæ cum palam sint, miror M. *Tombes* de *Vossio* vel quocunq; sani syncipitis supponere posse.

6. In castra Vossiana hactenus a M. *Tombes* abducti, jam ad nostra regredimur, dicentes, nos majorem propositionem ulterius confirmasse, ex *Mat.* 28. 19. πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτὰ &c. ubi per μαθητεύσατε (Discipulos facite) intelligitur. similis habetur locus *Ioh.* 4. 1. Ἰησοῦς πλείονας μαθητὰς ποιεῖ καὶ βαπτίζει ἢ Ἰωάννης &c. *Jesus plures* (Discipulos facit) & *baptizat quam Ioannes*, atq; hoc signo (sc. Baptismo) testatus est ipse (quemadmodum Apostolis injunxit) se eos Discipulos fecisse. Unde astruitur major propositio hoc modo. Quod confirmatur præcepto & exemplo Christi, est Licitum: at adhibere fœderis signum eis qui sunt in fœdere, est veritas confirmata præcepto & exemplo Christi; ergo iis qui sunt in fœdere adhibere fœderis signum, est Licitum. Minorem hujus syllogismi M. *Tombes* sic impugnare videtur. Exemplo & præcepto Christi monemur tantum *Discipulos* baptizare. Sed dicuntur *Discipuli*, non omnes qui sunt in fœdere (nam *Iacobus in fœdere fuit antequam natus Rom.* 9. 11. *non tamen discipulus, sed solum qui Evangelium audiverunt & crediderunt.* Respondeo, hujus assumptionis falsitas evincitur e loco citato, unde Liquet sole clarius, *Ad Discipulatum admitti,*

mitti, recte posse futuram instructionem ante ire. Nec nos dicimus, *Omnes eos Discipulos dici, qui sunt in fœdere* vel natos, multo minus *nondum natos*. Nam si sic se res haberet, frustra dixisset salvator (Discipulos facite) quum *discipuli* geniti fuissent. Omnes liberi fidelium in mundo recte *Discipuli fieri* postunt, non autem antequam mundum salutaverint. Sed (*antequam natos*) & (*in partu morientes*) & (secreta Dei) talia enim sunt secreta *electorum*) animadverto esse latebras M. T. unde sæpissime, inter disputandum, extrahendus est, ut quò ecclesiastica administratio non pertingit.

SECT. V.

Infantes esse in fœdere probatur, formula disputationis in vesperiis narratur, aliter quam M. Tombes comminiscitur. Aliud commentum M. Tombes notatur.

ETsi M. *Tombes* ultro agnoverit (sectione præcedente) infantes fidelium vel in utero existentes in fœdere posse haberi (quod sufficeret ad probationem Minoris contra M. *Tombes*) tamen negat minorem probari ex *Gen.* 17. 7. ubi primo dicit *assumentum Vossianum supponere omnes circumcisos fœderatos fuisse*; Ipse autem non omnino calleo necessitatem istius suppositionis, proinde gratis dictum est. Quicquid sit, dicimus (quemadmodum antea monuimus) omnes circumcisos fœderatos fuisse, quoad corporales benedictiones, non quoad spirituales promissiones. At inquit

quit M. *Tombes de infantibus fidelium e Gentibus, intelligit Doctor minorem æque ac Iudæorum, atqui ne verbulum quidem de infantibus fidelium e Gentibus &c.* Reſpondeo, Itane? Ergo quid volunt iſta loca *Rom.* 4. 12, 13. *Gal.* 3. 8, 27, 28, 29? Unde ſic argumentor. *Ero Deus tuus & ſeminis tui* (non adultorum modo, ſed & infantum qui octavo die circumcidendi erant) eſt formula fœderis: at fideles e gentibus ſub iſta comprehenduntur (ſunt enim ſemen *Abrahæ*, uti ex Locis citatis liquet) ergo fideles e gentibus (& conſequenter eorum Liberi) ſunt infœdere. Quid ad hæc M. *Tombes?* *Non* inquit, *hæc promiſſio quantum ad Evangelicum fœdus pertinet ad Abrahamum ut fidelem ſimpliciter, ſed ut patrem fidelium.* Reſpondeo, hoc eſt quod nos volumus, nempe promiſſionem ei factam fuiſſe, ut patri fidelium, unde probavimus eandem promiſſionem pertinere etiam ad omnes fideles e gentibus, interea tamen *recepit ſigillum juſtitiæ fidei (ſuæ)* quemadmodum vertit Syrus interpres, nec ibi loci ulla mentio facta eſt electorum, ipſe enim ſcopus Apoſtoli eſt, ut ad *fidem* (quam hominis eſt amplecti) non ad *electionem* (quæ Deum ſolum habet authorem) hortetur. At quid audio? Daturne promiſſio electis ſolummodo & fidelibus? Nonne ſatis eſt eos eſſe electos? Fideles etiam neceſſe eſt ut ſint modo beatitudinem conſequerentur? Recte. Sed intelligitne hoc M. T. quantum ad fidem habitualem vel actualem? Si quantum ad actualem, tum Liberi morientes antequam adoleverint, non ſunt capaces beatitudinis quantumvis electi. Sin quantum ad habitualem fidem tum infantes fidelium quum talem poſſint habere, ſunt capaces iſtius adminiſtrationis ſc. baptiſmi, quod erat probandum.

2 Post aliorum vero expositiones illius ad *Rom.* 9.6,7,8. ad formulam disputationis in vesperiis habitam procedit; quæ quidem non erat quemadmodum ille comminiscitur (quanquam parum refert utro modo sit, quum responsione mea quæ mihi incumbit defendenda, M. T. se putat beatum esse, mihiq; ea de re gratulatur adeo maxime, ac si Thesaurum offendisset) sed revera hujusmodi. Quicunq; sunt in fœdere sunt filii Dei; at infantes fidelium non sunt filii Dei; ergo infantes fidelium non sunt in fœdere. Probaret minorem negatam hoc modo. Filii *Abrahæ* non sunt filii Dei; at infantes fidelium sunt filii *Abrahæ*: ergo infantes fideliũ non sunt filii Dei. Dixi ad majorẽ, filios *Abrahæ* posse esse filios Dei; contrariũ autẽ probare vellet ille, dicendo, si filii *Abrahæ* sint filii Dei, tum vel per naturalẽ generationẽ vel per promissionẽ: Sed nec per naturalem generationem, nec per promissionem. Respondebam, per promissionem; sperabat se probaturum Contrarium e verbis Apostoli, quæ tamen diserte confirmant responsum, *v.* 8. *non qui filii carnis ii filii Dei, sed qui sunt filii promissionis reputantur in semine.* Quemadmodum ego dixi, filios sc. Carnis in sensu composito h. e. conjunctim cum promissione divina posse esse filios dei, non in sensu diviso, h. e. seperatim & extra septum fœderis positos, & sic vicissim gratulor M. *Tombes.*

3. *At* inquit M. T. *si ne Abrahami & Isaaci omnes filii sunt Filii promissionis, nec censentur in semen cui promissio facta est, Gen.* 17.7. *multo minus verum erit, Deum pollicitum esse, se fore deum infantibus fidelium e Gentibus qua talibus, eoque omnibus infantibus fidelium sive electis sive non electis. Hoc ipsum vero Doctor ipse concedit, quũ ait semen Abrahæ, seu filios carnis separatim se habere a promissione, & extra septum fœderis positos*

quod

quod eſt ipſiſſimum argumenti mei medium, & contradictorium minori Argumenti primi Doctoris (infantes fidelium ſunt in fœdere.) Reſpondeo primo, quod aſtute ſatis quædam hic dicuntur (nempe non *talium* ſed *talibus*) dicimus nos Deum promiſiſſe ſe fore Deum infantibus fidelium e Gentibus qua *talium*, non qua *talibus* h.e. non proprie & immediate quatenus e fidelibus parentibus progenerantur, quoad hoc enim ab aliis non diſcriminantur, ſed quatenus filii promiſſionis ſunt; quam Deus fidelibus & ſemini eorum facere dignatus eſt. Ita Deus promiſit ſe Deum fore ſemini *Abrahæ*, non qua (tali) h. e. quatenus ab *Abrahamo* per naturalem generationem tantum deſcendenti; ſed qua (talis) h. e. *Abrahami* quatenus patris ſeminis credentis. At reſpondeo ſecundo, falſum eſt quod ait M. T. Doctorem concedere filios carnis ſeu filios *Abrahæ* ſeparatim ſe habere a promiſſione, & extra ſeptum fœderis poſitos. Hypothetice enim loquitur h. e. *ſi ſint*, vel *quotquot ſunt* ſeparatim & extra ſeptum fœderis poſiti, non ſunt filii Dei (aliud eſt ponere, aliud autem ſupponere) quoſdam vero filios *Abrahæ* fuiſſe extra ſeptum fœderis poſitos, quoad promiſſiones ſpirituales, ſatis liquet in *Iſhmaele*; ſed (quidam) non ſunt omnes.

4. *At in altera parte reſponſionis binas reperit* M. T. *abſurditates.* 1. *Quod non directe reſponderim* (de quo judicet æquus Lector) *Reſpondendum*, inquit, *erat Doctori, non quo ſenſu erant filii Dei, ſed quomodo omnes Abrahæ filii dicendi eſſent in fœdere, etiam infantes juxta promiſſum Gen.* 17. 7. *quum tamen plurimos etiam filios Abrahæ ſecundum carnem non fuiſſe filios illius promiſſionis. hoc eſt, ad quos promiſſio ſpectabat, ſed ſolummodo ex eis electos.* Reſpondeo, iſtam ex-

ceptionem esse nugacem, quum (esse filii Dei) & (esse in fœdere) idem sonent in hoc loco. Idcoq; eodem redit, ac si dixisset, *non respondendum erat quo sensu essent filii Dei, sed quo sensu essent filii Dei.* Hoc autem non satisfacit M. T. qui *vult restringi promissionem ad electos tantum*, nec pertinere ad fideles in externa facie visibilis Ecclesiæ. Respondeo, promissionem considerari vel quoad externam administrationem, vel quoad internam & absolutam efficaciam; prioriq; modo pertinere ad fideles in genere; posteriori vero ad electos tantum. Vid. *Bezam* in Locum, huc pertinent ea quæ in calce Sectionis tertiæ posuimus. Monendi igitur vicissim sunt *Antipædobaptistæ* ut deinceps abstineant ab assertionibus istis. sc. externam fœderis administrationem ad electos tantum pertinere, ut de quibus est penes ecclesiam bene sperare, nihil pro certo statuere. Deus solus cognovit suos: *quæ occulta sunt penes Jehovam Deum nostrum; at quæ revelata sunt nobis & filiis nostris usq; in seculum*; Deut. 29. 29. atq; hæc doctrinæ Contraremonstrantium & commentationibus orthodoxis non adversantur. Secunda absurditas *est*, inquit, *quod componat Doctor ea quæ Apostolus opponit.* viz. (filios carnis) & (filios Dei) Respondeo. Num filii Dei, quantumvis homines sanctissimi, immediate de Cœlo delapsi nullam agnoscant naturalem generationem? Vel probet hoc M. T. vel desinat affirmare Doctorem effutivisse ἀνόητα; & semetipsum nec Doctoris, nedum Apostoli scopum calluisse recognoscat. Sed M. T. argutiarum plenus sentit se operam & oleum perdere, eo quod *Lapidi loquitur* At ego gratias ago, Deum *ex isto lapide excitasse filium* Abrahamo.

SECT.

SECT. VI.

Locus Act. 2, 38, 39. *exponitur, unde ſeptemplex error M. T. notatur.*

ACT. 2. 38, 39. *Petrus autem ait ad eos, Reſipiſcite & baptizetur unuſquiſq; veſtrum in nomen Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum: & accipietis donum ſpiritus ſancti. Vobis enim facta eſt promiſſio & Liberis veſtris, & omnibus longe poſt futuris quoſcunq; videlicet advocaverit dominus Deus noſter.* Sic *Beza*, Syrus etiam interpres Sic legit, *vobis enim facta eſt promiſſio &c.* Græce legitur ὑμῖν γὰρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία &c. ubi quæritur primo, quinam erant auditores ad quos *Petrus* ait, *Vobis facta eſt promiſſio?* Reſpondeo, mixtam fuiſſe multitudinem quæ ex pluribus Gentibus coaluit *v.* 10. ſpeciatim vero Judæos, quos propter Chriſtum occiſum increpat, deinde conſolatur ac ſi dixiſſet, quod etſi vos Chriſtum interfeceritis tamen ſpes reſtat reſipiſcentibus, cum vobis facta ſit promiſſio, imo omnibus qui Longe ſunt, multo magis vobis. 2. Quænam fuit promiſſio facta eis & Liberis eorum? Reſpondeo eſſe promiſſionem factam Abrahamo; promiſſionem inquam beatitudinis, quæ conſiſtit, in *remiſſione peccatorum* per promiſſum Meſſiam *Jer.* 31. 34.-- 3. obſervandum eſt, iſtã promiſſionẽ æque ad *Liberos* auditorum ac ad auditores ipſos pertinere, & non ad eos tantum qui vocantur ad actualem fidem; nam *vobis*, inquit *Petrus* & *Liberis veſtris*. 4. Si promiſſio pertinuerit ad Judæos & *Liberos* eorum, pari ratione pertinere dicitur ad omnes

nes quoſcunq; advocaverit dominus Deus & *Liberos* eorum.

At 1. M. *Tombes* vult hæc *dicta fuiſſe ob imprecationem* Mat. 27. 25. *Sanguis ejus eſt ſuper nos & Liberos Noſtros*, proinde hæc de Judæis tantum dicta fuiſſe (ni fallor) concludit, aut nihil ad Rhombum dicit, ſed iſta diluuntur ex iis quæ ipſe M. T. habet proximo in loco de promiſſione ipſa. *Promiſſio*, inquit, *erat de incarnatione Chriſti vel reſurrectione, quam Petrus intellexit.* Ibi enim Loquitur vel hiſtorice tantum & ſimpliciter; vel in ordine etiam ad ſalutem æternam. Si prius, quid inde conſolationis eſſet miſerrimis peccatoribus, qui eum habituri eſſent Judicem, quem ipſi condemnarunt ut malefactorem? Sin poſterius (quod veriſſimum eſt) tum eadem erat ac ea *Davidi* & *Abrahamo* facta, de qua teſtatur *Zacharias Luc.* 1. 69, 79. imo eadem cum illa *Adamo* facta.

2. At *promiſſio eſt*, h. e. inquit M. *Tombes*, *adimpleta eſt*, non *facta eſt*. Reſpondeo, *Bezam* & Syrum interpretem legere (*facta eſt*) at ſi modo *impleta fuerit*, ſequitur eandem primo *factam fuiſſe*, nec plenius impleta fuit eis, quam aliis.

3. At inquit M. *Tombes* dictum eſt ad illos ſpectare promiſſionem *quatenus credentes*: qui enim *Libenter receperunt ſermonem ejus baptizati ſunt* v. 41. Reſpondeo, loquutus eſt ad eos tanquam credentes, licet ſub veteri adminiſtratione adhuc viventes. Quot vero Libenter receperunt ſermonẽ ejus, baptizati ſunt, quo pacto novã & prẽſtantiorẽ *adminiſtrationẽ* aſſecuti ſunt. Omnes vero qui receperunt *ſermonẽ* ejus eſſe electos & fideles non legitur, imo contrariũ evincitur. Nã omnes "qui credebant habebant omnia communia *v.* 44, 45. e "quibus erant *Ananias* & *Saphira*, *qui in Spiritũ Sanctũ Men-*

" *Mentiebantur*, Act. 5.3. quos ideo, credo, M. *Tombes*
" non pronuntiaturum electos, & conſequenter baptiſ-
" mum non pertinere ad electos & vere credentes tan-
" tum quoad externam ejuſdem adminiſtrationem:
quod ſi de interna ejus efficacia agatur, aliter ſe res habebit. Sed M. *Tombes* hæc duo confundendo, agit quemadmodum elephanti ingenitum eſt, qui bibitum veniens aquam commovet prius, ne ſuam ipſius deformitatem videat & exhorreſcat.

4. *At* inquit ille *particula* (38) *non implicat jus eorum ad baptiſmum. Sed ponitur, ut ſuadeat eos ad reſipiſcentiam, & deinde ad baptiſmum.* Reſpondeo jus & officium non eſſe διάφορα, quum idem poſſit eſſe jus & officium diverſo reſpectu. (Venerari Deum) eſt officium omnium, maxima tamen Libertas & privilegium ſanctorum. *Petrus* igitur hic non mandat ut magiſtratus, ſed monet tanquam Miniſter, ne illud, quod jus & officium ipſorum erat negligerent.

5. At inquit ille, *quod ad fœdus gratiæ attinet, æque extenditur illud in novo ac in veteri.* Reſpondeo ſic, tum extenditur ad infantes ut patet.

6. Quod ad defectum mandati (quod M. *Tombes* urget) attinet, de hoc jam dictum eſt in ſuperioribus: Nec probavit M. *Tombes* Rationem quare *Petrus* fecit mentionem liberorum ἀφαλῶς eſſe a Doctoris mente alienam.

7. Manent inviolabilia omnia ea quæ M. *Tombes* in calce iſtius ſectionis pro falſis hypotheſibus deprehendit, quas ſatis ſuperq; ab ipſo refutatas ſe ſcire autumat; ego vero ſatis ſuperq; ab ipſo impugnatas cenſeo. Cenſeo, inquam, nam ſupra ſobrietatem ſapere nolo.

SECT. VII.

Defenditur argumentum Voſſianum ex John 3. 5. *deſumptum.*

JAM oſtenſurus ſum obiter, invalentiam reſponſionis M: *Tombes* ad quartum argumentum *Voſſii* e *John* 3: 5: petitum: Primo, Magiſter *Tombes* reſpondet *Argumentum Voſſianum ſi aliquid virium haberet, æque probare baptiſmum ad infantes infidelium ac ad eos fidelium pertinere*; Sed falſo, nam etiamſi æque traxerint originale peccatum ab *Adamo*, tamen non habent jus æquale ad regnum cælorum, filii enim fidelium cum ſint in fœdere, promiſſionem regni cælorum ſibi jure vendicant, quod de filiis infidelium neutiquam affirmari poteſt.

2. Mr *Tombes* fatetur, *baptiſmum obſignare regenerationem jam factam, eundem vero obſignare regenerationem futuram, qualitercunq; fieri prætenditur, prorſus negat, ideoq; inquit ille, non ingrediuntur in regnum Cœlorum qui ex aqua non regenerantur, h. e. non baptizantur, quum ſciant præceptum, & baptiſmus haberi poteſt, quippe aliter Chriſti contemnunt inſtitutum: ſed hoc nihil ad infantes, quibus nullum datur præceptum de baptiſmo aut ſcientia præcepti:* Reſpondeo, in contrarium hoc multum eſſe ad infantes, quia univerſaliter dicitur, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu non intrabit in regnum Cœlorum*; jam oſtendat mihi Mr *Tombes* ubi explicite excipiuntur infantes in tota ſcriptura, & erit mihi magnus Apollo

Apollo. At quæritur unde ſit, quod *baptiſmus efficaciter obſignet regenerationem infantibus*, uti *Voſſius* ait? Reſpondeo, quod cum infantes fœdere Dei comprehendantur etiam ab eo tempore quo in utero concepti ſunt, ut colligitur ex *Gen.* 17. 7. 1 *Cor.* 7. 14. Ipſe etiam Mr *Tombes* fateatur fœderatos quoſdam eſſe antequam natos *Sect.* 4. Baptiſmus non Confertur eis ut efficiantur filii Dei, ſed ut appareat Deum in Alvum filiorum & Domeſticorum ſuorum ipſos jam recepiſſe. 2. Cum Chriſtus pronunciet talium eſſe regnum Cœlorum *Mat.* 19. 14. Legamus etiam Hieremiam (Hierem 1.) & *Johannem Baptiſtam* (*Lucæ* 1.) ſanctificatos eſſe in utero; ac præterea dici non poſſit excluſos fuiſſe a ſalute infantes illos qui olim moriebantur ſine circumciſione, quam nefas erat ante octavum a nativitate diem conferre; hic etiam generaliter (ſine omni infantium exceptione) dicatur, *niſi quis renatus fuerit &c. non intrabit &c.* ſequitur infantes fidelium & olim fuiſſe, & hodie eſſe non ſolum fœderatos ſimpliciter, ſed & regeneratos (ita ut nemo audeat quemvis eorum non regeneratum pronunciare) hanc igitur eorum regenerationem baptiſmus efficaciter obſignat: qui neceſſarius eſt neceſſitate præcepti, non neceſſitate medii. Ideoq; *non privatio ſed contemptus baptiſmi damnat.* At objicitur, quanquam nemo audeat aliquem e fidelium filiis non regeneratum pronunciare; tamen *quidam non ſic ſanctificati ſunt, nec ante adultam ætatem* (quamvis baptizati) *regenerantur.* Reſpondeo, quod (hoc dato) ſi de jure admittendi ſint ad baptiſmum, ob rationes ſupra hic notatas, & ita in album filiorum Dei & domeſticorum ejus recipiendi, neceſſario concludendum eſt, vel ipſos ante baptiſmum vel in baptiſmo regenerari, vel ſaltem *futuram*

turam regenerationem eo obſignari, vel (manet ſors peſſima) ad electionem Dei non pertinere, atq; nihil amplius de ipſis adultis poteſt affirmari.

SECT. VIII.

Argumentum e Mat. 19. 13. *deſumptum confirmatur. Ceſſante materia præcepti ceſſat obligatio*, exponitur: *De paribus idem eſt judicium*, exponitur. *De manuum impoſitione* agitur; Auguſtinus vindicatur.

VT M: *Tombes* enervaret argumentum meum a mandato Chriſti *Mat:* 19. 13 deſumptum, ubi dicit ſalvator noſter, *ſinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium enim eſt regnum Cœlorum: Et ſi* inquit, *juſſi fuerunt* Apoſtoli *ſinere infantes ad Chriſtum venire præſentem, ut manus eis imponeret, & oraret, quod jam factu impoſſibile eſt, tamen inde non ſequitur, infantes adducendos eſſe ad Chriſtū ſeſe exhibentē in inſtitutionū cæremoniis.* Reſ. Optime illud ſequi, quia jam nulla alia relinquitur commodior aut Efficacior adducendi infantes ad Chriſtum, & procurandi eorum ſalutem via, quam ea præſentandi eos ad Chriſtum ſeſe exhibentem in inſtitutionum Cæremoniis, extra quas ſapere religio eſt.

2. At reddit rationem aſſertionis ſuæ *M: Tombes* ſc: *præceptum eſſe de adductione ſolummodo ad Chriſtum corporaliter præſentem*: Reſpondeo, nihil tale reperiri in textu, ideoq; a *M. Tombes*, perperam interponi 2. dicit M. *Tombes Chriſtum* hoc pacto *agnitum eſſe Prophetam & Lucem Mundi*. Reſpondeo, Chriſtum poſt

poſt aſcenſionem non deſiiſſe Prophetam & Lucem mundi eſſe, ideoq; nihil impedire quo minus benedictionem ſuam petentibus impertiat, etiam jam poſt aſcenſionem ſuam in Cœlos; & fruſtra eſt quod M. *Tombes* dicit, quod *ceſſante materia præcepti ceſſat obligatio.* Nam materia duplex eſt; vel adæquata, vel inadæquata. Ceſſante materia adæquata præcepti, ceſſat obligatio: Ceſſante vero materia inadæquata, non ceſſat obligatio, niſi quoad aliquam vel aliquas partes. Ratio eſt, Quoniã quẽadmodũ eſt internus reſpectus & habitudo totius ad totum, ita partis eſt ad partem. Ceſſante igitur parte materiæ, ceſſat tantum ea pars obligationis, quæ particulariter reſpexit illam partẽ materiæ ceſſantem. Dicimus itaq; quod ceſſante corporali præſentia Chriſti, ceſſat tantum aliqua pars materiæ præcepti, proinde ceſſat obligatio reſpectu iſtius partis tantum, non totius. Imo corporalis præſentia Chriſti (ſi pars omnino eſſet) fuit minima pars materiæ, eaq; temporaria tantum, & non neceſſaria, cujus abſentia conſequenter non eſt deſtructiva ejus quod eſt eſſentiale obligationi, cujuſmodi materia ejus eſt, quæ quidem neceſſaria eſt, & perpetua. Materia enim obligationis eſt adductio infantium ad Chriſtum ſecundum triplex ejus officium; ut ſc. Regem, ut Prophetam, ut Sacerdotem. Regem ut regat & protegat; Prophetam ut illuminet & doceat; Sacerdotem ut intercedat, & reddat Patrem propitium (atq; hæc omnia quoad internam efficaciam) in quibus non ceſſat materia præcepti. 1. Non habitualiter, nam *Jeſus Chriſtus heri, hodie, & in æternum* Heb. 13. idem docetur Heb. 1. non autem actualiter ceſſabit quamdiu requirat commoditas, vel urgeat neceſſitas Eccleſiæ, cui Chriſtus nunquam ſe defuturum promittit.

mittit. urget autem neceſſitas peccatricis naturæ; requirit commoditas beandorum. Quantum autem ad externam horum adminiſtrationem, non reliquit Chriſtus eccleſiam orbam, quum *dederit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas &c.* & Mat. 28. dixit Apoſtolis. *Ite & diſcipulos facite &c & ecce ego ſum vobis in conſummationem ſeculi.* At forſan haud inepte diſtinguendum eſſet inter occaſionem præcepti & præceptum ipſum. Occaſio præcepti erat Adductio infantum ad Chriſtum corporaliter præſentem; præceptum ipſum erat indefinitum & illimitatum: *ſinite parvulos ad me venire.* Et merito quidem, quũ opus habituri eſſent ipſius benedictionibus uſq; in conſummationem ſeculi. (Eodem modo etiam ipſe *Mat.* 11.28. Corporaliter præſens invitavit *omnes fatigatos & oneratos ad ſe venire*, etiam non præſentem corporaliter; tamen inde non ſequitur obligationem veniendi ad Chriſtum in refectionem animæ ceſſare, quoniam ceſſante occaſione præcepti non ſtatim ceſſat obligatio.) Atq; hanc eſſe viam efficaciſſimam adducendi infantes ad Chriſtum

1. Confirmat ratio, quum quicquid efficaciæ habent benedictiones in infantibus, vel doctrina in adultis, obſignatur & confirmatur baptiſmo.

2. Teſtatur Eccleſia antiqua, quæ nunquam baptiſmum celebravit ſine præviis benedictionibus, uti ab aliquibus obſervatum eſt, & ab omnibus piis creditum, imo nec omni probabitate caret, Chriſtum ipſum benedictionem ſuam illis infantibus impertiviſſe, ut baptiſmo prærequiſitã, eos vero non baptizaſſe pariter, quia *nullos* omnino in perſona ſua *baptizabat*, Joh. 4. 2.

3. Quamvis Magiſter *Tombes* dicit Doctorem eſſe

eſſe ſolum hujus veritatis Dictatorem; nempe *nos juſſos eſſe ſinere infantes aliquo modo venire ad Chriſtum, ideoq; ad Chriſtum in inſtitutionum cæremoniis ſeſe exhibentem*; tamen hoc ipſum non diffitetur. Concedit enim *Chriſtum ſeſe exhibere in inſtitutionum Cæremoniis, modo inſtitutionum Cæremoniæ adhibentur juxta inſtitutionem.* Quod ſi enuncietur ſub terminis ſpecialioribus, idem eſt acſi dixiſſet Chriſtum ſeſe exhibere infantibus in baptiſmo, ſi modo baptiſmus eſſet inſtitutus vel baptiſmus eis exhiberetur juxta Chriſti inſtitutum: at (ſic enim ſupplenda eſt minor Propoſitio) aut non eſt inſtitutus, aut eis non adhibetur juxta Chriſti inſtitutum. Reſpondeo, Baptiſmum eſſe inſtitutum ſimpliciter M. *Tombes* non negabit. At baptiſmum eſſe adhibitum infantibus juxta Chriſti inſtitutum provincia fuit noſtra probare ex *Mat.* 19. 13 nempe quia a Chriſto mandatum eſt. Quapropter jam denuo affirmare baptiſma non adhiberi juxta Chriſti inſtitutum, eſt *Petitio Principii. Addit enim Doctor*, inquit M. *Tombes, in quantum unius tantum cæremoniarum capaces ſunt*, h. e. *baptiſmi (nam verbo erudiendi non ſunt, nedum ad ſacram ſynaxin conveniendi) reſtat igitur ut baptizentur.* Sed *in his* inquit M. *Tombes, nihil ſani.* 1. *Si infantes non ſunt ad ſacram ſynaxin conveniendi, quomodo verum eſt quod priori argumento ſtatuitur, ſc. iis qui ſunt in fœdere licet adhibere fœderis ſignum? An non ſacra ſynaxis eſt ſignum fœderis? Et tamen ad eam non conveniendi infantes quamvis in fœdere ſunt; ergo eis qui ſunt in fœdere non licet adhibere fœderis ſignum ad doctoris ipſius mentem.* Quomodo verũ eſt, quæritꝫ Reſpondeo, eo modo quo hoc verum eſt, ſc. Quicunq; dicit hominem eſſe animal, dicit verum. *h.e.* non animal quodvis, ſed animal quoddam; nam

nam omnis Asinus est animal, tamen quicunq; dicit hominem esse animal, non dicit hominem esse asinum. Nam, ad eundem modum; eis qui sunt in fœdere Licet adhibere fœderis signum, non quodvis, sed quoddam (sc. Baptismum) is enim solus initiandis competit, quemadmodũ dixi, quod autẽ dixi secundum mentem meam dixi, ergo an secundum Doctoris ipsius mentem, eis qui sunt in fœdere non licet adhibere fœderis signum, judicet quivis in Logicalibus Tyrunculus.

4. *Dicit*, inquit M. *Tombes, prærequiri suiipsius probationem ad cœnam Dominicam adeundam. Fateor, & regero a baptizandis respiscentiam & fidem expressius requiri.* Respondeo, recoctam esse crambem hanc, & sæpius jam ad nauseam deguſtatam; adeo ut eructaverimus responsionem hanc sc. prærequiri ista ab adultis tantum non ab infantibus.

5. *Sed* inquit, *si daretur prærequiri, Argumentũ erit firmũ si esse in fœdere det jus ad signũ fœderis, cũ aque signũ fœderis sit cœna ac baptismus, jus erit fœderato infanti tam ad cenã quã ad baptismũ.* (*de paribus idem est judiciũ.*) Resp. nunquam in re seria mihi occurrerunt tot Levia & nullius momenti sophismata. De paribus idem est judicium *h. e.* quatenus paria sunt, non quatenus imparia sunt: paria sunt cœna & baptismus in genere signorum imparia autem sunt 1. Respectu propriorum significatorum: 2. respectu recipientium.

6. *At* inquit M. *Tombes tam capaces sunt cœnæ Dominicæ quam baptismi respectu signorum, & respectu finis & usus quæ idem sunt.* Respondeo, signum in baptismo esse *aquam*, ad quam infantes se habent passive per ablutionem tantum. Signa vero in cœna Domini esse *panem* & *vinum*, ad quæ recipiens se habet active & competunt magis adultis, ideoq; horum signorum diversi

diverſi ſunt fines & uſus proprii. Baptiſmus enim eſt ſignum regenerationis, & ingreſſus in Eccleſiam: Cæna eſt ſignũ nutritionis & manſionis ſive continuationis in Eccleſia. Ideoq; baptiſmus ſemel tantũ ſuſceptus ſufficit, ſicut ſemel gignimur, inſerimur: Cæna vero ſæpius iteranda, ſicut & nutritio continuenda. Hinc fit etiam quod baptiſmus præcedit cænam; ſicut prius abluimur, deinde manducamus; prius gignimur, deinde nutrimur, prius recipimur deinde continuamur.

7. *Quin*, inquit M. T. *cum ait verbo erudiendi non ſunt, nedum ad ſacram ſynaxin conveniendi; pari ratione mihi licet arguere; infantes verbo erudiendi non ſunt, nedum ad ſacrum baptiſma adducendi, quippe nulli baptizandi ordinarie ſaltem, juxta Chriſti inſtitutionem, niſi qui verbo prius eruditur.* Ad cujus probationem apponit recoctam Crambem ex *Mat.* 28. 19. *Marc.* 16. 15, 16. Quam jam diluimus interpretando μαθητεύειν, per (diſcipulos facere) non per (docere) tantum. Infantes vero poſſunt diſcipuli fieri, etſi non poſſunt doceri. Non licet igitur M. *Tombes* pari ratione arguere, quemadmodum ipſe autumat. 2. Non hic prætereundum duxi, quod M. *Tombes* interponit hic (*ordinarie*) quo innuit *extraordinarie* aliquos baptizandos eſſe, qui prius verbo non eruditur, & per conſequens materiam eſſe in ſe diſpenſabilem, proinde etiam aliquando licitam; quod erat probandum: hoc autem de infantibus intelligi vellem; nam ſi M. T. velit adultos *extraordinarie* baptizandos eſſe, quantumvis verbo non eruditi; illud prorſus negamus.

8. *Quin*, inquit M. *Tombes*, *nec ſequitur, ſi modo unius tantum inſtitutionum capaces ſint, reſtat ut baptizentur. Cur non potius dicendum, reſtat ut manus eis imponantur, & preces pro eis fiant?* Reſp. Dicam cur

non potius &c. 1. Quia benedictiones & manuum impoſitiones in ipſa baptiſmi Celebratione includuntur, ut antea monuimus. 2. Quia nulla alia a Chriſto inſtituta nec ab Eccleſia retenta adducendi infantes ad Chriſtum & initiationis cujuſvis in Chriſto, via publica præter baptiſmum. Quantum enim ad manuum impoſitionem cum precibus: vel fiat ante vel poſt baptiſmum vel cum baptiſmo. Si ante, tum præparatoria eſt ad baptiſmū; ſi cum baptiſmo tum ſocia eſt baptiſmo; ſi poſt baptiſmum, appendix eſt baptiſmi; ut & fuſius probat Chamierus. Neutro horum modorum ſacramentum eſt aut a baptiſmo diſtinctum (quemadmodum de ſua confirmatione ſomniant Pontificii.) *Calvinus in 6. C. v. 2. ad Heb.* ubi mentio fit ab Apoſtolo *Baptiſmatum doctrinæ, & impoſitionis manuum, hic Locus* inquit *abunde teſtatur hujus cæremoniæ Originem fluxiſſe ab Apoſtolis &c. Sciamus ergo* inquit *a primis authoribus inſtitutum fuiſſe, ut eſſet ſolennis precandi ritus, quemadmodum etiam Auguſtinus nuncupat fidei quidem profeſſionem, quam adoleſcentes pueritiam egreſſi* (prius autem baptizati, ut paulo ante dicit) *edebant, voluerunt approbare hoc ſymbolo.* Fruſtra igitur eſt quod M. *Tombes* interrogat, *cur non potius dicendum reſtat ut manus eis imponantur, & preces pro eis fiant?* quum iſta baptiſmum infantum ſequantur, vel ſaltem aliquo modo pro appendicibus baptiſmi habeantur.

9. *Atqui* inquit M. *Tombes conſtat Apoſtolis Chriſtum hoc non præcepiſſe.* Reſpondeo, jam negat concluſionem, quam fuſe in præmiſſis probavimus, idq; mediis haud obtorto collo, ſed directe ſpectantibus. 2. Sacramentum jamjam tanquam verum & indubitatum circumciſionis ſucceſſorem practicatum fruſtra

de

de novo præcepiſſet Apoſtolis, quamvis inſtitutum poſtmodum terram relicturus *Mat.* 28. confirmaverit. Nec ullum fortius poteſt adduci argumentum, cur noſter ſalvator in propria ſua perſona baptiſmum non adhibebat, quam quod ipſe M. *Tombes* mihi ſuggerit. ſc. *Chriſtum neminem baptizaſſe* Joh. 4. 1.

10. *Quod vero* inquit M. *Tombes*, *addit ex Auguſtino puras putas ineptias continet : quænam enim eſt ea mater Eccleſia, quæ accommodat infantibus aliorum pedes ut veniant &c? Ideam puto Platonicam & nullibi exiſtentem.* Reſpondeo, ſi hæc ita ſint, tum vel quatenus Eccleſia, vel quatenus mater, vel quatenus accommodat eis aliorum pedes ut veniant &c. Si quatenus Eccleſia, tum omnes eccleſiæ viſibiles a principio mundi uſq; in hunc diem, etiam eæ quarum in Scripturis mentio fit, & omnes earundem adminiſtrationes ſunt Ideæ Platonicæ nullibi exiſtentes, & puræ putæ ineptiæ. 2. Non quatenus mater. Nam Eccleſia *ſponſa* Chriſti appellatur in Canticis; hæc autem ſponſa non eſt ſterilis, cur igitur non Mater? Dicitur Eccleſia *fœmina habens lunam ſub pedibus, quæ pepererat filium, reliquiq; ſuerunt ex ejus ſemine cum quibus Draco bellum gerebat* Apoc. 12. Cur igitur non Mater? *Filia Regis* Pſal. 45. 13. *cujus filii erunt Loco parentum, quos præponet principes in tota terra.* v. 17. ideoq; rite mater eaq; venerabilis dicatur. 3. Non quatenus accommodat eis aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut confiteantur. Quum eodem modo indentura ſcripta, ſigillata, dictata, data, accepta in uſum & commodum infantis, idq; aliorum manibus, aliorum affectu, aliorum linguis rata, nec pro chimæra aut ineptiis habebitur, modo infans ipſe quum adoleverit, conditionibus perſtiterit, neque hoc

phraſi Scripturæ de Eccleſia Gentium loquentis diſſentaneum eſt. *Eſaiæ* 49. 22. Hæc dicit Dominus. *Ecce Levabo ad Gentes manum meam, &c. & afferent filios tuos in ulnis & filias tuas ſuper humeros portabunt.* Atq; hæc verba nec ſcopus Prophetæ, nec Analogia fidei, quo minus Literali ſenſu (modo ulteriori res probatione indigeret) capiantur, prohibent.

11. Exceptioni autem M. *Tombes contra aliorum fidem ut credant*, reſpondeat ipſe, dicens *permotum eſſe Chriſtum aliorum fide, ut aliquos ſanaret*; Cur igitur non promota eſſet eccleſia parvulum aliorum fidei profeſſione gremiũ in ſuum ſolenniter recipere? Quum uterq; fructum & commodum alienæ non ſuę ipſorum fidei percipiant; quod & poſterior ſibi jure fœderis vendicat. *At* inquit M. *Tombes, nuſquam legimus quenquam in alio credidiſſe, ſine proprio actu aſſenſus aut Conſenſus.* Reſpondeo, quod idem apud Auguſtinum legere licet. Et oſtendimus quomodo, cui aliorum fides poteſt accommodari ac in utilitatem cedere. Atq; ita exiſtimationi *Auguſtini* haud male conſultam eſſe puto; quam M. T. læſam arbitratur.

12. Ad Argumentum vero quod hinc contexuit *Voſſius*, dicit M. *T. illud concludere de infantibus illis ſolis quibus manus impoſuit Chriſtus.* Reſpondeo, quod ſi concludat de illis ſolis tum concludit de aliquibus. Ergo (ſecundum mentem conſequentialem M. *T.*) aliqui non ſunt arcendi a baptiſmo: licet aliquos baptizare etiam quamvis actuali fide deſtitutos. 2. Locus autem revera non concludit de illis ſolis, ſed de omnibus indefinite, ut ſupra probavimus: ubi diſtiximus inter occaſionẽ *præcepti*, quæ fuit adductio illorũ ad Chriſtum; & ipſum præceptũ, quod (occaſione data tantum

ab

ab eorum adductione) generale est; ideoq; Syllogismus non est monstrosus, aut quarto termino redundans. Imo inquit M. *Tombes, ratio valet in contrarium e contextu, non baptizavit sic benedictos, & in vulnus acceptos, ergo noluit eos baptizari; arcendi sunt a baptismo.* Respondeo, negando argumentum: nam a negatione facti ad negationem juris non valet. 2. Respondeo, non baptizavit, ergo noluit eos ipse baptizare, quoniam neminem baptizavit: nam a negatione universali actus imperati voluntarii ad negationem voluntatis sequitur argumentum; sed non sequitur hoc sc. non baptizavit, ergo noluit eos a quoquam baptizari; nam a negatione facti unius ad negationem facti alterius non sequitur argumentum.

13. *At* inquit M. *Tombes, ideo tantum fecit hoc Christus, quia inde exemplar voluit dare.* Respondeo, tum vel temporibus solum tunc præsentibus, vel etiam futuris: si tunc præsentibus tantum, tum illius tantum ætatis infantes fuerunt e mandato Christi ad Christum adducendi, ut benedicerentur, & durus fuisset infantum futurorum pater, imo ipso *Augustino* durior. Sin etiam futuris temporibus, tum futurorum tunc seculorum infantes ad Christum (justu Christi) adducendi erant. Si ad Christum, tum non corporaliter præsentem (quum id sit impossibile) sed ad Christum per ministros suos in institutionum Cæremoniis (extra quas sapere nefas est) sese exhibentem, proinde in baptismo, quum hujus solius capaces sint, ut jam demonstravimus.

14. *Nec minus*, inquit *M. Tombes, eo prospexit Christus infantibus novi Testamenti quam veteris.* Respondeo, minus quidem prospexisset: Quum minus prospectum sit hæredi; si hæreditas laceris chartis, aut

nuda promiſſione ſibi concedatur, quam ſi pleno jure & perfecto diplomate in curia publice declaretur & confirmetur. *Neq; enim* inquit ille, *circumciſione infantum eis ita proſpexit, quin ſine circumciſione aut baptiſmo, idem aut amplius privilegium ſive gratiam indulgeat*, Reſpondeo, iſtam rationem æque militare adverſus baptiſmũ adultorum ac infantum, quibus idem (haud auſim dicere amplius) privilegium aut gratiam indulſit & indulgebit Deus, modo iſtis Sacramentis tempeſtive adhibendis propria ipſorum culpa non caruerint. Hoc inſuper (fatente hic M. *Tombes*) ex indulgentia (de qua non diſputamus) non ex pacto (de quo procedit quæſtio) evenit.

SECT. IX.

Defenditur Argumentum Voſſii e 1 Cor. 7. 14. *depromptum, contra Argumenta* M.T. *ex Auguſtino & a frigidis, ac fornicantibus, etiam a fœminis depromptа.*

ARgumentum Voſſianum, quo probat parvulos eſſe fœderatos & ad baptiſmum habiles, ſumitur ab illo *Pauli* 1 *Cor.* 7. 14. *Maritus infidelis ſanctificatus eſt in uxore, & uxor infidelis ſanctificata eſt in viro: alioqui filii veſtri eſſent immundi, nunc autem ſancti ſunt.*

1. Quod Argumentum ut enervaret M. *Tombes* primo addibet teſtimonium Auguſtini dicentis, *ſanctificationem hanc cujuſcunq; modi ſit, ad iſtam de baptiſmo, & de peccati origine vel remiſſione, quæſtionem omnino non pertinere. Auguſt. Tom.* 7. *L.* 2. *de pecc. Merit. & remiſſ.*

remiſ. c. 26. Loco vero ſecundo, *hanc filiorum ſanctitatem, non de fœderali, vel ad baptiſmum aptitudinali, ſed de politica tantum, h.e. de ſola legitimatione interpretatur.* Reſpondeo, contrarium hoc Argumento probari. viz. Sanctitas de qua Loquitur Apoſtolus quæcunq; ſit, propria eſt Liberis fidelium : at Legitimatio non eſt propria Liberis fidelium : Ergo Legitimatio non eſt ea ſanctitas. Major probatur ex hoc, quod dicit Apoſtolus. *Maritus infidelis ſanctificatus eſt in uxore* ſc. *fideli*, & e contra : alioqui filii veſtri, h. e. Corinthiorum *fidelium*, qui fuerunt *vocati ſancti* 1 Cor. 1. 1. *immundi* eſſent, *nunc autem ſancti ſunt.* probatur minor ex hoc; quod Legitimatio eſt genus ſanctificatis commune omnibus & non proprium fidelium : tam enim erat Legitimus Pilatus quam Baptiſtes, etſi non tam ſanctus: Addo non poſſe, fatente M. *Tombes*, prope finem iſtius Sectionis, dari exemplum hujus notionis, ut uſquam alibi ſanctus ſignificaret Legitimum filium; proinde fallitur M. *Tombes* dicens, *de nulla alia ſanctitate & immunditia propoſitiones in Apoſtoli conſequentiis incluſas veras eſſe.*

2. Quod autem ad locum Auguſtini attinet, dico verum eſſe, ſanctificationem hanc non pertinere ad illam Auguſtini quæſtionem de Baptiſmo quæ verſabatur circa peccati originem & remiſſionem peccatorum contra Pelagianos; miratur enim Auguſtinus eos urgere locum hunc Apoſtoli, quum dicat *cap.* 25. ejuſdem *Lib.* 2. *filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt; & ideo, inquiunt, fidelium filii jam baptizari minime debuerunt. Miror hoc dicere, inquit, qui negant peccatum ex Adam originaliter* [illegible] tendenda vero ſunt verba Auguſtini Loquentis conjunctive. *ſc.* de baptiſmo (&) peccati origine, non diſ-

[illegible]

junctive, nempe de baptismo (vel) peccati origine. Nihil igitur impedit, quo minus pertineat ad istam quæstionem, quæ est de fœderali & ad baptismum aptitudinali sanctitate. Eodem etiam recidit, quod *Augustinus* ipse in superioribus dicit (si auctoritatem *Augustini* M. *Tombes* vel flocci pendet) *Sicut* inquit, *tempore illius sacramenti, de circumciso qui nasceretur circumcidendus erat, sic nunc de baptizato qui natus fuerit, baptizandus est.*

3. Non autem Agustini tantum, sed & *Bezæ* sententiæ vim infert *M. Tombes*, cum dicat *Beza, fidelem posse bona conscientia uti infidelis conjugis vase*, hoc est, (ut vult *M. Tombes*) *quantum ad usum Copulæ* fidelis uxor potest cum infideli marito consuescere; sed falsissime: nam attende, *Bona* (inquit *Beza*) *conscientia*: h. e. non *Matrimonialiter* tantum sanctificatur, adeo ut possit secundum Leges Civiles legitime consuescere; sed & *religiose*, ita ut *bona Conscientia* possit idem præstare; hoc est, conscientia eo non polluitur. Quod ulterius *ex eo probatur, quod liberi inde nati sancti, id est, in promissione censeantur. Singulis enim fidelibus dicitur, ero Deus tuus & seminis tui.* sic *Beza*. Ad hæc, *sanctificatus est in uxore*, h. e. inquit *Lozerelius Villerius, Johannes Cherpuntius* & alii, *pietas uxoris plus valet ut Conjunctio ista pro sancta habeatur quam mariti infidelitas, ad hoc, ut conjugiũ illud prophanetur.* Cum hæc & ea quæ in primo & secundo paragraphis hujus sectionis notavimus, vera sint; frustra sunt quæ M. *Tombes* circa expositionem hujus textus in contrariũ comminiscitur, & nodum in scirpoquærit.

4. *At*, inquit *M. Tombes, si de sanctitate alia quam instrumentalem dicunt*, hoc est *infidelis sanctificatur per fidem alterius partis, quoniam instrumentum est generando*

do filium fœderatum & ad baptiſmum jus habentem, intelligatur, ſequitur Apoſtoli determinationem non pertigiſſe omnino ad eos quibus vis nulla generandi, imo ſolutos eos hac ratione immuniſſet, adeo ut fidelis poſſit infidelem deſerere, utpote inhabilem generationi ſeminis ſancti. Reſpondeo quod quicquid M. *Tombes* hic de inſtrumentali ſanctitate comminiſcitur, noſtra ſententia (ſecundum ſcopum Apoſtoli) eſt, *Maritum infidelem ſanctificari in uxore.* h. e. a fide & pietate uxoris infidelitatem viri præponderari, uti ſupra dicitur; adeo ut hujus infidelitas nihil impediat, quin & ipſa, non ſolũ bona cum conſcientia poſſit ejus vaſe uti, ſed & filios, ſi quos maritus genuerit, ſanctificatos, hoc eſt, fœderatos procreare, non obſtante ejus infidelitate, atq; hoc ſenſu poteſt dici inſtrumentum generando ſemini ſancto *h.e.* fœderato. Quantum autem ad eos quibus nulla vis generandi (miſſos faciens de conjugio & divortio caſus) dico quod vel conjuges ſunt vel non? Si non tum quidem conſilium Apoſtoli ad eos non pertingit, diſertis enim verbis Loquitur Apoſtolus de *marito & uxore.* Si ſic, *h.e.* ſi manent adhuc conjuges, tum poſſint bona conſcientia cohabitare etſi actu nunquam generent ſemen; quoniam ſanctitas iſta non profluit nec dependet ab effectu vel viribus generatricis facultatis: Sed e contra, ſanctitas effectus h. e. prolis vel virium prolificarum dependet, & promanat affirmative a ſanctitate fidelis partis per quã ſanctitas fœderalis ſemini derivatur; negative vero a parte infideli, quatenus ſemen ea non polluitur.

5. *At*, inquit *incertum eſt an generet ſemen ſanctum necne, quamvis ad generationem habilis ſit.* Reſpondeo, Negando incertum eſſe ſemen ſic generatum ſanctum eſſe, quoad ſanctitatem fœderalem de quâ procedit

quæstio; *nunc autem sancti sunt*, inquit Apostolus.

6. *Sanctificatio*, inquit M. *Tombes, quam nos statuimus potest convenire fornicantibus: nam fornicatrix potest esse fidelis imo veram fidem exercere & tamen tentatione victa copulari infideli fornicanti, qui instrumentum esse potest secundum ipsos generando semini sancto hoc est uti volunt viri isti, semini in externo fœdere posito, & ad baptismum habili.* Respondeo, quod fornicans infidelis potest esse instrumentū generando semini sancto *h. e.* fœderato & ad baptismum habili Namsi alite se res haberet tum eveniret, vel a parte sui vel a parte alterius, sc. fornicatricis infidelis. Non a parte sui; quia fornicatio in se non est prior infidelitate, ideoq; si infidelitas non reddit eum inhabilem ad generandum fœderatum, quemadmodum probavimus, multo minus fornicatio. Non ex parte alterius, quia fornicatio, cum sit flagitiū in moribus, non reddit fidelē, infidelem nisi dispositive tantum, etiam ante tentationem victam multo minus postquam tentationem ipsa vicerit.

7. *At ergo*, inquit, *si generatio cinetur Paulus, juxta ipsorum expositionem, cohabitatio fornicantis fidelis cum infideli erit Legitima & continuanda.* Respondeo quod si quibusdam in casibus liceat fideli & infideli cohabitare, ut patet per consilium Apostoli, cur non Liceat fornicantibus cohabitare sub quibusdam conditionibus? Fateor quibusdam in casibus utrumq; dissuadendum, imo neutrum Legitimum nec continuandum. Atq; de his consulendi sunt Theologi, & alii casuistæ *Szegedinus* sc. *Urentius* & alii: multi autem sunt casus particulares qui nunquam adhuc evenerunt, de quibus ante eorum eventus, nihil potest quis certi statuere.

8.

8. *At*, inquit M. *Tombes, non habent jus ad baptiſmum nec ſi fœderati eſſent: verum enim non eſt, fœderatis omnibus fœderis ſignũ competere, non enim fœminis fœderatis vel circumciſio competebat.* Reſpondeo, verum eſſe fœderatis omnibus fœderis ſignum competere, habita ratione mandati Dei & conditionis perſonarum. Non autem circumciſio competebat fœminis, non ſolum propter ſexum earum, cum ideo apte circumcidi non potuerint, ſed etiam propter Dei inſtitutionem, qui voluit tantum mares circumcidi, de his autem §. 4.

9. *Nec* inquit *quia fœderati, nec quia* (ut loquitur Voſſius e Tertulliano) *deſignati ſunt ſanctitatis baptizandi aliqui, ſed quia profeſſi ſunt ſanctitatem.* Reſpondeo, recoctam eſſe crambem hanc, nec ulteriorem quam qualem prius dedimus meretur reſponſionem. Mihi autem minus placet (*Deſignati ſanctitatis*) cum Apoſtolus explicite (*ſanctos*) nuncupet, quod nos per (fœderatos) interpretamur, ſecundum ſcopum Apoſtoli, quamvis utrovis modo Argumentum valeret.

SECT. X.

Defenduntur Argumenta Voſſii *e Loco* 1 Cor. 10. 2. *deprompta, perſtringitur conſequentia* M. *Tombes de baptiſmo beſtiarum.*

MR *T.* procedens in reſponſionibus ad Argumenta *Voſſii* pro *Pædobaptiſmo, quia infantes ſunt Eccleſiæ membra & per mare tranſibant* 1 *Cor.* 10. 2. dicit *vera eſſe de Eccleſia inviſibili non de Eccleſia viſibili:* negat enim infantes quoſvis eſſe membra Eccleſiæ viſibilis donec

fidem profiteantur. Reſpondeo, quod ſatis probavimus in prioribus infantes eſſe membra Eccleſiæ viſibilis, ideoq; ad eos pertinere externam adminiſtrationem baptiſmi, quæ non accidit aliis quam eis qui ſunt membra Eccleſiæ viſibilis; proinde non opus eſt ut plura addamus in ſupplementum; Cum ipſe M. *T.* impræſentiarum nihil in probationem ſententiæ ſuæ in medium proferat. Ut autem illi *Epheſ:* 5. 26. (ubi dicit Apoſtolus *Eccleſiam mundari Lavacro aquæ in verbo*) obviam iret, dicit, 1. Infantes non mundari lavacro aquæ *in verbo*, quoniam *de verbo Evangelii ipſis prædicato Apoſtolus intelligit, quod infantibus non annunciatur.* Sed Reſp. quod verbum Evangelii prædicatum nihil aliud eſt quam verbum promiſſionis, quam eo, quo diximus *Sect.* 3. modo, fieri probavimus, non fidelibus ſolum ſed & Liberis eorum, ideoq; non ſolum illos, ſed & hoſce etiam baptizandos eſſe. Non autem requiritur ut Evangelium prædicetur omnibus quos quomodocunq; concernere poterit (tum enim vel infantes electi ſalutem non conſequerentur) ſed ſolum adultis & rationis uſum habentibus, quod illuſtrari poteſt ab aliis generis fœderibus; fœdus fuit quod pepegit Deus poſt diluvium cum hominibus & animantibus de non iterum perdendis ipſis diluvio, cujus ſymbolum eſt arcus cæleſtis *Gen.* 9. iſtud autem fœdus animantibus non annunciatur. Deus etiam fœdus inivit cum creaturis de naturæ conſervatione, & ſynecdochice dicitur *fœdus de die Dei & nocte*, quo Deus ordinavit ut dies & nox ſibi invicem ſuccederent, & *quod fœdus irritum nemo facere poteſt.* Jer. 33. Hoc autem fœdus (quemadmodum & prædictum) ſoli Angeli & homines ex omnibus Creaturis, intelligunt. Multo minus a ratione alienum videretur, quod deus pange-

ret

ret fœdus, & ſignum fœderis adhiberi juberet infantulis, qui de iſta ega ſeipſos Dei benevolentia, in poſterum certiores reddendi ſunt, quamvis inter pangendum vel adminiſtrandum nihil intelligant. Sed hoc plenius (idque extra omnium controverſiæ aleam) evincitur ex ipſo circumciſionis Sacramento.

2. *Non ſequitur*, inquit M. *Tombes*, *Eccleſiam intelligi inviſibilem qua talem, quoniam mundari dicitur lavacro aquæ.* Reſpondeo, Eccleſiam mundari Lavacro aquæ quatenus viſibilem, non quatenus inviſibilem: illud enim fieri poteſt, hoc factu impoſsibile eſt, niſi per accidens h.e. quatenus ſæpiſſime contingit, ut membra viſibilis Eccleſiæ ſint partes inviſibilis 2. Reſpondeo, illud non *attributum* Eccleſiæ *inviſibili* vel latente hic M. *Tombes* quatenus inviſibili; ſed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *tantum.* Verum ne ſic quidem primario attribuitur Eccleſiæ inviſibili ab Apoſtolo; quoniam Sacramenta (cujuſmodi ſupponitur eſſe Lavacrum aquæ) primario inſtituuntur in gratiã viſibilis Eccleſiæ quamdiu vifibilis; quippe quam primũ ipſa vel quævis ipſius pars deſinat eſſe viſibilis, continuo ab uſu viſibiliũ ſignorũ feriata eſt. Nec poteſt Eccleſia vel ulla ejus pars eſſe inviſibilis, quamdiu viſibilibus iſtis ſignis ſubjicitur, cum inter notas viſibilis Eccleſiæ & membrorum ejus recenſeantur.

3. Quod ad *tranſitum per mare* attinet *iſte non fuit* inquit M. *Tombes*, *Typus baptiſmi.* Reſpondeo, Typum varie ſumi 1. Proprie, pro nota, quæ impreſſione ſeu percuſſione facta eſt, cujuſmodi fuit typus clavorum, Jo. 20. 21. Secundo pro ſumma cujuſvis rei. v g. Epiſtolæ. Act. 23. 25. tertio pro adumbratione alicujus perſonæ, aut rei futuræ; ſic *Adam* fuit *Typus* illius qui erat futurus *h.e.* adũbravit & præfiguravit Chriſtũ. *Rom.* 5. 14. quarto, pro forma; Sic forma Doctrinæ di-

citur Typus *Rom.6.17.* quinto pro figura ſeu imagine *Act.7.43.* ſexto pro exemplo, quemadmodũ hic ſumitur 1 *Cor*10. 2. unde legimus in textu Baptiſmũ vocari ἀντίτυπον ejus 1 *Pet.*3.21. ergo ille tranſitus maris fuit Typus. Syrus etiam interpres legit. *Secundũ quem typum vos quoq; ſalvi facti eſtis per baptiſmum.* Non igitur video cur M. *Tombes* probare ſatageret Spiritum ſanctum non recte vocaſſe tranſitum Maris Typum (uti apud Syrum interpretem Legitur) vel baptiſma antitypon, uti habet textus Græcus. Ipſe autem concedit quod nos volumus; nempe *omnia veterum ſacramenta, etiam ac noſtra in unum Chriſtum reſpexiſſe,* qui *variis typis ſeſe illis ingerebat* uti loquitur *Beza.*

4. *Si* inquit M. *Tombes, quia infantes ſub patrum nomine veniunt* 1 Cor. 10. 2. *ideo baptizandi, ſimiliter cœna dominica cœnandi ut typo antitypon reſpondeat.* Reſpondeo, quemadmodum Sectione 9. paragrapho 7. diximus, requiri ut Typo antitypon reſpondeat habita ratione mandati Dei & conditionis perſonarum; ut autem infantes ad cœnam Dominicam conveniantur, nec ſuppetit mandatum Dei, nec materia habilis.

5. *Si* inquit M. *Tombes propter tranſitum maris infantes ſunt baptizandi, beſtiæ etiam tranſeuntes ſunt baptizandæ.* Reſpondeo prorſus non ſequi, quia nec veterum nec noſtratium ſacramenta beſtiis Chriſtum ullo modo indigitarunt. 2. Iſtiuſmodi cavillum a Copronymis expectabam, proinde confirmat ea quæ ὁμοιωνῆς loco ſubjunximus.

6. *Hæc,* inquit, *omnia de iis dicuntur quibus Chriſtus ſignificatus eſt per ea, quod de infantibus dici nequit.* Reſpondeo, quod pari ratione de circumciſione, cum omnibus ejus circumſtantiis, dicendum eſſet, illa omnia de iis dici quibus res ſignificanda ſignificatur per

ea

ea, quod de infantibus dici nequit; cujus assertionis falsitas ulteriori probatione non indiget, si de significatione proprie dicta loquamur; sin de denominativa significatione quæstio habeatur, dicimus tam in baptismo quam in circumcisione Christum infantibus significari, quatenus *sc.* membra sunt visibilis Ecclesiæ; quippe actiones quamvis proprie sint partium, denominative vero sunt totius. Sed de his quædam jam in hujus Sectionis Paragr. 1. diximus.

7. *Nec* inquit M. *Tombes dicuntur proprie, sed (ut Grotius) quasi baptizari.* Respondeo, sive proprie sive improprie sint, parum refert; cum Spiritus Sanctus explicite dicat eos baptizatos esse. 1 *Cor.* 10. 2. Nostrum autem baptisma illius antitypon esse, confirmatur 1 *Pet.* 3 21. ideoq; recte (quemadmodum mihi videtur) Vossius dixit hac etiam ex parte typo (eo modo quo typus est, & non aliter) Antitypon respondere nempe quod baptizari debeant infantes. Quod fuit probandum.

SECT. XI.

Confirmatur Argumentum Vossii & Savagii e *Col.* 2. 11, 12. *depromptum. De successione baptismi in Locum circumcisionis, eorumq; æquiparatione; perstringitur M.* Tombes *ob illiberalia dicta de Doctore* Savage. *Fœdus cum Abrahamo pactum non esse Gentilitium ostenditur contra* Grotium. *De Proselytis portæ & proselytis justitiæ agitur.*

1. IN titulo Sectionis 11. Mr *Tombes* dicit responderi Argumento *Vossii* octavo & *Savagii* tertio e *Col.* 2. 11, 12. petito, de successione baptismi in Locum

cum circumciſionis, eorumq; æquiparatione; *Savagius* autem Argumentum ſuum ſumit ab æquiparatione tantum (hoc autem probato, ſucceſſionē baptiſmi in Locum circumciſionis vel ſponte ſequi nemo diffitebitur) ex omnibus eorum quæ in veteri Teſtamento, aliquam habent cum baptiſmo Cognationem, circumciſio primum locum obtinet, ſive ablutiones Legales *Heb.* 9. 10. ſive Arcam *Noæ*, 1 *Pet.* 3. 20, 21. Sve mare rubrum &c. 1 *Cor.* 10. 2. ſpectemus. Primo enim ablutiones non fuerunt ſymbola ingreſſus in Eccleſiam: Secundo, abluebant a munditia cæremoniali, e. gr. a contactu cadaveris &c. Arca Noæ & mare rubrum, ſic & commoratio ſub nube extraordinaria fuerunt ſacramenta. Circumciſio autem fuit ordinarium ſacramentum & ſymbolum receptionis in familiam Dei, teſtificatio inſuper circumciſorum erga Deum infantibus ipſis conferebatur, nec ſolebat iterari: quæ omnia competunt etiam baptiſmo. His addo ea quæ in textu *Col.* 2. 11, 12. exhibentur. Ubi primo innuit duplicem circumciſionem, unam manu factam, alteram internam & manu non factam, quæ conſiſtit in expoliatione corporis peccati, h. e. veteris hominis. Secundo, innuit duplicem baptiſmum, unum externum, alterum internum, h. e. conſepelitionem iſtius veteris hominis cujus baptiſmus eſt teſſera & ſigillum efficaciſſimum. Hæc autem conſepelitio illi expoliationi reſpondet exegetix&c. Similiter efficax illa virtus Dei &c. *v.* 12. reſpondet circumciſioni Chriſti, *v.* 11. unde ſequitur primo, baptiſmum circumciſioni recte æquiparari. 2. Circumciſione mortuâ bapt ſmum eidem hæredem fere *ex aſſe* ſuccedere, in utriſq; igitur ſaltem *brevis & ſeminuncia recti.*

2. *Non* inquit *habemus par mandatum de utriſque ideoq;*

ideoq; quamvis baptiſmus circumciſioni ſucceſſiſſet, non valeret ratio ad baptizandos infantes. Reſpondeo, quod jam in præcedentibus ſatis probavimus pædobaptiſmum mandari æque ac infantum circumciſionem. *h.e.* 1° quatenus infantes in cõmuni vocabulo omnium gentium involvuntur. Secundo, per alias conſequentias; Quarum vim ipſe M: *Tombes* Marſhallo non denegat; Cur igitur me tali indulgentia non dignetur? Fruſtra igitur iſta denuo proferuntur in medium.

3. *At* inquit M. *Tombes textum intuenti patebit ad Apoſtoli mentem nihil extra Chriſtum circumciſioni & aliis umbris Legalibus ſuccedere. Completi ait, v.* 10. *eſtis in Chriſto*; pau'o poſt, *baptiſmo* inquit, *ſicut & fidei* Apoſtolus *tribuit quod Chriſto uniamur & confirmemur: de omnibus Legalibus cæremoniis ait, quæ ſunt umbra rerũ futurarũ, at corpus eſt Chriſti. Sic alibi Chriſtus eſt paſcha noſtrum* 1 Cor. 5.7. *Pontifex ſacrificium. Et Doctrina recepta in ſcholis omnes Legales Cæremonias typos fuiſſe Chriſti; Ejuſq; adventu abolitas, ipſo jam loco omnium ſuccedente. Succeſſio proinde non iſtic penitur a Paulo baptiſmi in locum Circumciſionis, ſed baptiſmi una cum fide tanquam mediorum unionis cum Chriſto meminit.* Reſpondeo (*Completos eſſe nos in Chriſto*) æque contra baptiſmum in genere militare, ac contra ſucceſſionem ipſius in locum circumciſionis (quum pari ratione dicendum eſſet *completi ſumus in Chriſto*, non opus eſt igitur baptiſmo) quoniam ſi primas eorum inſtitutiones ſpectemus, unum eſſe utriuſq; uſum deprehendemus, nempe, media externa eſſe unionis noſtræ cum Chriſto. At inquit M. *Tombes, Chriſtus eſt Paſcha noſtrum* 1 Cor: 5.7: cur igitur non pari ratione dicatur Chriſtus eſt *circumciſio noſtra?* Si igitur (quod ibidem innuitur) paſcha fuerit umbra Chriſti crucifi-

 gendi,

gendi quare non fuit circumcisio Christi circumcidendi? Si autem sic, tum sequitur non solum Pascha sed & circumcisionem ita evanuisse ut nihil præter Christum in eorum locum successerit? Respondeo, hoc Argumentum Pontificiis acceptum referri, qui volunt Sacramenta veteris testamenti meras fuisse Umbras rerum futurarum quas nostra Sacramenta exhibent. Umbras fuisse non diffitemur, easq; beneficiorum, quæ nobis per Christum obventura essent non autem umbras solum, sed & exemplaria nostrorum Sacramentorum, eaq; pariter ac nostra ejusdem Christi & benedictionum nobis inde promanantium exhibitiva ut patet per 1 *Cor*: 10. 6. collatum cum *v.* 11. Ejusdem capitis.

4 Dicit Mr *Tombes Vossium non verum dixisse*, quoniam Apostolus non dicit nos esse circumcisos in baptismo, sed *consepultos in baptismo*: Respondeo, consepultos in baptismo, idem esse exegetice ac circumcisos in baptismo quemadmodum diximus:

5 Mr *Tombes* dicit inanem esse Nazianzeni Collectionem, veritatem vero illius nullo probat argumento, uti nec conjecturæ *Augustini*; ideoq; de his nihil impræsentiarum.

6 At M. *Tombes* doctrinam rescindere impar, in ipsum Doctorem sub *inconstantiæ, & vertiginis Circulantis Doctoris* ac hujusmodi illiberalibus debacchatur Locutionibus: Ubinam autem est hæc inconstantia, vertigo &c? In hoc quidem, quod sc: (inquit) *Savagius dixerit infantes fidelium baptizandos esse, quod essent in fœdere: hic vero dicat infantes baptizandos ut essent in fœdere*. Respondeo quod ejusdem inconstantiæ & vertiginis Spiritus Sanctus insimulandus esset, qui *Gen.* 17. 3, 4. dicit, *locutus est cum ipso* (Abrahamo)

Deus

Deus, dicendo de me, ecce fœdus meum tecum &c. v. etiã 7. *ſtabilio autem fœdus meum inter me & te, & ſemen tuum poſt te per ætates ſuas, ut fœdus ſit perpetuum, me eſſe tibi Deum & ſemini tuo poſt te:* paulo autem poſt *v.* ſc. 10. *hoc* inquit, *eſt fœdus meum inter me & vos, & ſemen tuum poſt te, quod ſervabitis, ut circumcidatur vobis omnis mas.* Abraham itaq; & ſemen ejus fuerunt ante circumciſionem adhibitam in fœdere Dei, quoad promiſſionem Dei; non erant in fœdere quoad officium & præſtationem ipſorum; ipſi namq; fœderati circumcidendi erant ut in fœdere Dei eſſent; ſignumq; ipſum fœderis fœdus vocatur: Unde eſt ſatis obvia & facilis. Utinam igitur totus Dei populus talem ſaperent inconſtantiam.

7. *Circumciſio,* inquit M. *Tombes, ſignum erat fœderis gratiæ, ſed ejus fœderis quod non erat purum fœdus gratiæ Evangelicæ, h. e. non alias promiſſiones contineret præter promiſſiones gratiæ in Chriſto ſalutiferæ ſed miniſtrum &c. ideoq; vel in hoc baptiſmum Circumciſioni non eſſe æquiparandum.* Reſpondeo, fœdus Evangelicum, cujus ſignum eſt baptiſmus, vel tempore novi Teſtamenti, habet *promiſſiones hujus vitæ & futuræ,* quemadmodum loquitur Apoſtolus 1 *Tim.* 4. 8. proinde fœderi Abrahæ facto, etiam in hoc, recte aquiparari poſſit.

8 *At* inquit Mr *Tombes, Grotius dicit fœdus Abrahæ factum fuiſſe gentilitium:* Reſpondeo (præter ea quæ Sect. 3. Paragr. 3. fuſius diximus) quod ſi fœdus fuerit gentilitium, tum vel reſpectu authoris *ſc.* Dei. At hoc non eſt verum, quoniam Deus *non eſt Deus Judæorum tantum, ſed & Gentium,* Rom. 3. 29. vel reſpectu promiſſionis ipſius. At neq; hoc; quoniam continet; vel ſecundum M. *Tombes* hoc in Loco, *promiſſiones gra-*

tiæ Evangelicæ, quæ ſunt Gentibus cum Judæis communes.

9 *Nec* inquit Mr *Tombes*, *Chriſtus tanquam exhibitus ſed expectandus proponebatur.* Reſpondeo, quod Chriſtus promiſſus & Chriſtus exhibitus eſtidem Chriſtus, ideoq; licet circumciſio & baptiſmus, quæ ſunt ſigna fœderis (unum ejuſdem in promiſſione; alterum in promiſſionis præſtatione) longe diſſita ſint tempore inſtitutionum; tamen reſpectu ſignati non ſunt longe diſſita. *Antequam Abraham fuit ego ſum*, inquit ipſe Chriſtus *Joh.* 8. 58.

10. *Imo* inquit Mr *Tombes*, *addita poſt lege Moſaica, circumciſio erat ſignum obligans ad illam præſtandam uſq; ad adventum Chriſti. Gal.* 3. 9. *&c.* Reſpondeo, ergo ſecundum ipſum M. *Tombes* circumciſio duplicem habuit uſum, unum ante legem latam, alterum additū poſt legem latā; ante legem latam ſignabat tantum gratiam ſpiritualē temporalibus promiſſionibus ſtipatā: poſt legem latam, erat etiam ſignū obligans ad illam præſtandam uſq; ad adventum Chriſti non abolita primæva ejus ſignificatione, quemadmodum nec Re eo ſignificata, ut idem Apoſtolus ibidem docet, *v.* 16. &c. & ob hunc duplicem uſum quem habuit circumciſio, Proſelyti *portæ* circumcidi non tenebantur, ut quod ſine ſummo ſæpe ipſorum incommodo fieri non potuiſſet. Eis enim certas & fixas adhuc non habentibus, intra Iſraelitarum *portas*, manſiones, Liberum erat circumcidi vel non circumcidi, alio fortaſſe brevi inde migraturis. Proſelyti vero Juſtitiæ qui quamvis e gentibus profanis oriundi patriā relicta, ſedes ſuas apud Iſraelitas collocabant neceſſario circumcidi tenebantur. Exod. 12. 48. *Quod ſi peregrinabitur apud te peregrinus, qui facere voluerit paſcha Jehovæ;*

cir-

circumciditor ei omnis Mas, tum demum accedito ad faciendum ipſum, & eſtoſicut ipſe indigena terræ: at nullus præputiatus veſcitor illo. Lex eadem eſto indigenæ ipſi & peregrino huic qui peregrinatur inter vos. Quo in loco habetur primo lex Proſelytorum. h.e. adventitiorum qui ibi loci ſub nomine *peregrinorum peregrinantium* in Iſraele notantur. Quicquid ab illa alienum ubivis reperitur, non inſtitututioni Dei, ſed uſui & conſuetudini hominum acceptum refertur.

11. *At* inquit M. *Tombes, in fœdere Evangelico promiſſiones proſperitatis & quietis temporalis non habentur, ſed præmonitio potius crucis ſubeundæ.* Reſpondeo; in fœdere Evangelico contineri promiſſiones proſperitatis & quietis temporalis probavimus Paragr. 7. hujus Sectionis. Nec inficias eo præmonitionem crucis ſubeundæ haberi in fœdere Evangelico, quoties crux cuiquam acciderit, procul vero abeſt, ut crux ſit de ſubſtantia fœderis, etſi ſors ſit fœderatorum, eorumque non ſolum e gentibus ſed & Judæis etiam; unde fuit quod agnoverunt ſeſe Abramidæ peregrinos & infælices; quemadmodum *Sect.* 3. monuimus.

12. Objicit M. *Tombes*, quod *Circumciſio erat ſignum ex parte Dei promittentis Baptiſmus autẽ eſt ſignum ex parte baptizati.* Reſpondeo, quod circumciſio fuit ſignum potius ex parte hominis quam Dei ut patet ex ipſo textu *Gen.* 17. proinde iſta exceptio in fumum abit. At revera utrumq; aliquo modo ſignum eſt mutuum inter Deum & hominem, Deum ſc. mandantem & hominem mandatum exequentem; inter Deum promittentem & hominem repromittentem; ergo paritas quoad hoc etiam obtinet.

13. Alia M. *Tombes* exceptio eſt, quod *circumciſio gentem integram a reliquis ſeparabat; baptiſmus ve-*

ro perſonas aliquot e gentibus per Evangelii prædicationem ſelectas & vocatas. Reſpondeo, quod circumciſio ordinarie ſeparabat gentem Iſraelitarum a reliquis non autem quatenus gentem Iſraelitarum tantum, ſed etiam quatenus gentem fidelium, idq; primo & primario quemadmodum diximus: eodemq; modo baptiſmus eſt ſignum diſtinguens *hic* totas gentes, *illic* aliquot e gentibus a gente infidelium, non quatenus gentes vel perſonas, ſed quatenus fideles, idque primario.

14. *Circumciſio* inquit M. *Tombes, adhibebatur maribus promiſcue omnibus in ea gente natis, aut quoquo modo aduentitiis; ſed baptismus tam fœminis quam maribus electione propria, ſi Chriſti mens ſpectetur, Chriſtianiſmum amplectentibus.* Reſpondeo, quod M. *Tombes* modo dixit adventitios quoſdam ſive Proſelytos *porte* non circumciſos fuiſſe; jam vult omnibus quoquo modo adventitiis circumciſionem fuiſſe adhibitam. *At*, inquit, *ſignum iſtud maribus tantum inſculptum.* Reſponſum eſt jam fœminas ad hoc fuiſſe inhabiles; pari igitur ratione, cum M^o *Tombes* dicere liceret circumciſionem juſſam eſſe per *cæſionem* fieri, Baptiſmum vero per *Lotionem* vel *immerſionem* adminiſtrari. Et miror M. *Tombes* hanc diſparitatem inter cæteras ejuſdem momenti preteriiſſe, quam ſi non omiſiſſet, reſpondiſſem pariter baptiſmum non poſſe fieri per cęſionem, ideoque ad hujuſmodi impoſſibile nemo tenetur.

15. *At*, inquit M. *Tombes paritates illuſtrant; non tamen obſcure, multo minus aperte indicant.* Reſpondeo 1. Paritates ſubſtantiales, ſive proprietatum eſſentialium ſunt apertæ indicationes, cujuſmodi ſunt iſtæ ab Apoſtolo memoratæ, una cum nonnullis ex antedictis

dictis, quæ quidem in illis Apoſtoli inununtur. 2. Si paritates *illuſirent*, tum non *obſcure* indicant; quum *obſcuritates* & *illuſtrationes* reſpectu ejuſdem ſibi invicem opponantur.

16. At inquit, *nulla datur inſtitutio, nullum Mandatum.* Reſpondeo,

Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni.

huic autem objectioni ſuperius ſatisfactum eſt, & hoc eſſe ipſiſſimum Socinianorum argumentum, ſectione ultima oſtenditur. Denique, inceptoris in Theologia non eſt dictare (uti loquitur M. *Tombes*) *pro imperio*, ſed reſpondere pro forma: nec D. S. muneris ſui oblitus magiſtraliter dictabat, ſed rationibus jam confirmatis probabat quod erat probandum.

SECT. XII.

Pædobaptiſmus univerſali poſt Apoſtolos traditione probatur · loca e Cypriano & Origine vindicantur. Pelagianos ipſos Pædobaptiſmum credidiſſe oſtenditur. Perſtringitur M. Tombes *quod* Grotium *depereat; Fallacia plurium interrogationum M.* Tombes *notatur. De ætate Chriſti; de Chiliaſtis; de Schiſmate circa obſervationem paſchatis agitur;* D. Savage *ipſe a calumnia* M. Tombes *vindicatur. Pædobaptiſmus e* Juſtino & Tertulliano *probatur, ubi de ſponſoribus agitur; teſtimonium* Auguſtini *non improbandum. Mos dandi Euchariſtiam parvulis non probatur e* Cypriano *vel* Auguſtino; *Regula* Auguſtini *de Pædobaptiſmo conſuetudini dand. Euchariſtiam infantibus non eſſe accommodandam oſtenditur pluribus rationibus.*

MR *Tombes* dicit *traditionem per ſecula Apoſtolos ſequentia falſo vocari univerſalem.* Cujus aſſertionis confirmationē aggreſſurus, primo *Cyprianum baptiſmum*

mum infantum tempore Apoſtolorum nullibi teſtari affirmat.

Reſpondeo, diximus nos in ſuppoſitione quod infantes tempore Apoſtolorum Baptizatos eſſe Origines & *Cyprianus* teſtantur. h. e. conjunctim; nam ſicut ſonus ſonum; lumen ejuſdem ſpeciei lumen poſſit intendere, ita teſtimoniũ teſtimonio poteſt fidem facere clarius nimirum obſcuriori, dignius indigniori, præſertim hominũ ejuſdẽ ſeculi, cujuſmodi fuerunt hi ambo: quorum Origines aperte hoc teſtatur locis infra notatis; *Hom.* 8. in *Levit.* & *Hom.* 6. *Cyprianus* etiam in Concilio 66. Epiſcoporum, ſtatutum eſſe aſſerit, infantes mox poſtquam editi eſſent baptizandos eſſe *Magd. cent.* 3. *c.* 6. *ubi univerſi* inquit ille, *judicavimus nulli hominum nato miſericordiam Dei & gratiam denegandam.* Si Doctrina Pœdobaptiſmi pro Apoſtolica non habita fuiſſet, aut praxis ejuſdem Apoſtolicum non redoluiſſet exemplum, quemadmodũ & Origines teſtatur, 66. illos Epiſcopos, tertio tantum ſeculo currentes, in tantum errorem conſpiraſſe vix crediderim: Imo ab ipſo *Cypriano* & toto concilio illud ſupponitur de quo contendimus. *Quod* cum inquit *Cyprianus, circa univerſos obſervandum ſit atq; retinendum, tum magis circa infantes ipſos & recens natos obſervandum putamus; qui hoc ipſo de ope noſtra ac de divina miſericordia plus merentur quod a primo nativitatis ſuæ ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt quam deprecari.* Unde liquet dubitationem non fuiſſe de baptizatione infantum ſimpliciter (hoc enim ab omnibus concedebatur, nemine, quod ſciam, renitente) ſed de baptizatione infantum recens natorum, quos baptizandos concilium ſtatuit; ut eo tempeſtive conſultum eſſet infirmitati eorum, qui ante *ſecundum aut tertium*

diem infantes baptizari noluerunt, aut exemplo circumcisionis moti baptismum infantum ad octavam diem distulerunt, vel ut obviam irent forsan incurię aliorum qui aliis de causis baptismum parvulorum procrastinarunt, quemadmodum nonnulli hic in Anglia feciſſe putantur: quod occasionem prębuit legi illi Inę, ut Infantes intra triginta dies baptizarentur, mandanti, de qua seculo octavo monuimus. Hic igitur obtinet regula *Augustini*, quam seculo proprio tradidimus. *Siquis* inquit *in hac re auctoritatem divinam quærat, quanquam quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate rectissime creditur: tamen veraciter conjicere possumus quid valet baptismi sacramentum ex circumcisione carnis.* His positis remanet hoc inviolabile, quod secundum *Cyprianum* tempore Apostolorum baptismus infantum obtinuerit.

2. At, inquit M. *Tombes Origenis testimonium incertum est, quia libri isti fatente ipso Ruffino, quum interpretaretur, interpolati.* Respondeo, 1. Quod illa Origenis interpretatio *Hieronymo* ascribitur ut patet ex ipsa prefatione, in libros in Epistolam ad Romanos: Sola peroratio reddit hoc suspectum. 2. Esto Ruffini ipsius, & (ex ipsis a M. *Tombes* allatis) respondeo; nempe, quod *Ruffinus interpres ademerit, adjecerit, mutarit quæ sibi viderentur adimenda, adjicienda, mutanda*, idq; haud dubio (cum *Ruffinus Origenista* censeretur, uti notat *Erasmus* in censura de Homiliis in Genesin) vel *explanandi* animo, ut ipse interpres in præfatione (quæ Hieronymi nomen gerit) profitetur: vel ut verum nobis & genuinum pro falso imperfecto vel interpolato exhiberet, cui mentem Origenis haud minus quam Neotericis nesse licuit. Imo nec ex his desunt

fidi & diligentiſſimi antiquitatis indagatores Magdeburgenſes apud quos hæc loca Originis pro genuinis habentur, nec obeliſco ab iis (quem aliter ſenſerant) notantur.

Etſi vero quid etiamnùm extaret Origini intertextum; tamen hæc loca eſſe ejuſcemodi non probatur, nec è Græco Originis textu, ſi extaret, evinci poſſet; quum de interpolationibus Ruffinus teſtetur, *viz.* eas fuiſſe ante ſuſceptam ab ipſo interpretandi provinciam, fatente ſuperius M. *T.* nam & ipſe Ruffinus (vel Hieronymus) interpretationem aggreſſurus dicit *ſuper omnes difficultates eſſe quod interpolati ſunt illi libri.*

3. *Sed* inquit M. *Tombes nec ingenti caret ſuſpicione verba de Pædobaptiſmo inſerta poſt controverſiam de peccato originali exortam; quippe expreſſe contra Pelagianorum Doctrinam militant.* Reſ. Quod non ſequitur omnino; quum eadem ratione, conjectarem Irenæi Origine antiquioris verba ab *Auguſtino L.* 1. contra *Julianum Pelagianum.* c. 3. notata non eſſe genuina ſed inſerta eſſe poſt eandem controverſiam exortam, quoniam expreſſe contra Pelagianorum doctrinam militant. Multa etiam Scripturæ loca contra Pelagianorum doctrinam expreſſe militant, multa tamen poſt exortam controverſiam inſerta: at dic amabo, quomodo Doctrina Pædobaptiſmi contra Pelagianorũ doctrinam *expreſſe* militat, quum & ipſi Pelagiani baptizandos eſſe infantes non dubitarunt? teſte *Aug. Tom.* 7. l. 2. *de pec.* meritis & remiſſione, *c.* 25. (ſi ſit *Auguſtini*) ſuper illud 1 Cor. 7. *filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. Si* inquit *hanc ſententiam Apoſtoli ſic accipiunt ut credant de fidelibus ſanctificatos filios naſci; cur eos etiam ipſi baptizari oportere non dubitant?*

Ratio

Ratio hujus ipſorum opinionis reddi videtur ab eodem in *l.* 1. *de pecc. mer. & remiſſ. c.* 20. *conantur* inquit *parvulis non baptizatis innocentiæ merito ſalutem ac vitam tribuere, ſed quia baptizati non ſunt eos a regno cælorum facere alienos, idq; ex Joh.* 3. 5. *niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu non intrabit in regnum Cœlorum.* Teſtatur etiam *Voſſius in hiſtor. Pelag. l.* 2. *part* 2. ex Hieronymo Pelagium tenuiſſe *infantes baptizari in adoptionē filiorum. Habet enim in eis gratia quod adoptet, non habet unda quod diluat.* Et Proſper in Chronicis ad An. 414. *Hac tempeſtate* inquit *Pelagius prædicavit, parvulos non eſſe baptizatos, ut peccato exuantur, ſed ut ſacramento Adoptionis honorentur*, unde ipſe Pelagius de infantibus ſine baptiſmo mortuis, dixit, *quo non eant ſcio, quo eant neſcio.* Suntq; inquit M. *Tombes aut eadem aut conſimilia eis quæ ſæpius in libris Auguſtini & Hieronymi occurrunt Origine nunquam nominato.* Reſpondeo, quod ſi conſimilia, multo magis ſi eadem plane ſint, ſatis probant Doctrinæ mirum conſenſum, non rerum ſubdolam inſertionem. *Regula vero* inquit M *Tombes eſt Riveti: ſi aliquis ante natum Pelagium, vel ante exortum Arrium in Pelagianorum & Arrianorum errores acer & vehemens extiteret, coſque ex profeſſo quamvis hæreticorum nomine ſuppreſſo, divexans, probabile non eſt tale ſcriptum eſſe eius authoris cujus nomen præfert.* Reſpondeo, quod ad hanc majorem propoſitionem Hypotheticam minor hoc modo aſſumenda eſt: At Origines (vel ſaltem *Ruffinus* aut interpolator) acer & vehemens eſt in Pelagianorum aut Arrianorum errores, coſq; ex profeſſo, quamvis ſuppreſſis eorū nominibus, divexat: Ergo probabile eſt id, quod de Pædobaptiſmo inter Originis opera invenitur, non eſſe Originis. Prorſus negatur minor propoſitio:

quum Originem aut ejus interpolatorem acrem aut vehementem in errores Pelagianorum aut Arrianorum extitiſſe credibile non ſit, quia teſtatur *Eraſmus* loco ſupra dicto Origenem in Arrianiſmum propenſum eſſe, & ipſe M. *Tombes* fateatur Origenem eſſe *Pelagianiſmi parentem*, imo authoritate Vicecancellarii idem confirmat, quam ſi tanti faceret quanti præ ſe fert, autoritatem Grotii toties ab ipſo nominati minus deperiret; qui quidem *Grotius* (ipſo Pro-cancellario veriſſime pro concione in Templo univerſitatis non ita pridem teſtante) *nonnulla in præjudicium Chriſtianæ religionis ſuper* 53. *Eſaiæ annotavit.* At quanquam hic *M. Tombes* hac obtulerit Procancellario ſimpulo magnificorum non videmus id quod in tergo eſt, ubi tuditem & paxillum geſtat quibus tempora ejus frangit & transverberat, Sect. ultima; in qua illum ut ſchiſmaticum inter reliquos circa Pædobaptiſmum orthodoxos perſtringit, quem hic pro authentico veneratur. Hodie *Heſanna*, cras *crucifige*.

4. *Quibus* inquit M. *T. addi poteſt quod Auguſtinus ante ipſum originale peccatum & Pædobaptiſmum aſſerentes nominans nunquam Originis meminerit, nec ſupra Cyprianum aſcenderit.* Reſpondeo, quod in nominatione aſſerentium Originale peccatum aſcendit ad Irenæum uſq; qui non longe poſt Apoſtolorum tempora claruit. Præterea ſui non erat inſtituti omnes & ſingulos hac in re recenſere, quemadmodum ipſe teſtatur loco citato, h. e. *l.* 1. contra Julianum Pelagianum. c. 3. *Non quidem omnium de hac omnes ſententias, nec omnes eorum quos commemorabo me congregaturum eſſe pollicear, quia nimis longũ eſt, & neceſſe eſſe non Arbitror; ſed ponam pauca paucorum; quibus tamen noſtri contradictores cogantur erubeſcere & cedere; ſi ullus in iis vel*

Dei

Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ ſuperaverit. Hæc ille; audiant igitur & Antipædobaptiſtæ & reſipiſcant.

5. *Quod ſi vero* inquit M. *Tombes genuina eſſent iſta Origenis verba, non tamen fides adhibenda eſſet ei referenti Eccleſiam ab Apoſtolis traditionem baptizandi parvulos ſuſcepiſſe; præſertim quum ne veſtigium aliquod iſtius praxis in Ignatii, Clementis Alexandrini, Juſtini Martyris, Irenæi, Euſebii, Athanaſii, Epiphanii genuinis operibus inveniantur, ne tum quidem quum occaſio erat talem praxin referendi*: Argumentum ſic ſe habet. Nonnulli de baptiſmo infantum ſiluerunt, etiam oblata occaſione aliquid dicendi, nempe Ignatius, Clemens Alexand. &c. ergo Origenes non eſt credendus. Reſp. Negando Argumentum: nam pari ratione contra ipſum Dei eſſe argueretur. Author libri *Eſtere* (qui multos patres & Eccleſiæ Doctores præponderat) Deum nullibi nominavit; ergo cæteris Spiritus Sancti amanuenſibus fides non eſt adhibenda, quum de Deo teſtentur; & quidem difficile eſt negare illum potuiſſe inde de Deo loquendi anſam arripere. Secundo, negatur antecedens, quod ne *veſtigiū iſtius rpaxis in Ignatii, Clementis Alexandri, Iuſtini Martyris, Irenæi, Euſebii Athanaſii, Epiphanii genuinis operibus inveniatur*; fallacia enim eſt plurium interrogationum, cum ex his Juſtinus & Irenæus (uti & Tertullianus) de pædobaptiſmo teſtentur, quemadmodum in ſuppoſitione diximus.

6. *At*, inquit M. *T. nec ſi in aliquorum ex his libris mentio fuiſſet Pædobaptiſmi, indubitata prorſus eſſet hoc traditio, quum non ſolum in traditionibus circa Paſchatis obſervationem & Chiliaſtarum opinionem, quas ab Apoſtolis deducebant a ſecundi ſeculi Epiſcopis, ſed etiam ab ipſo Irenæo circa Chriſti ætatem (quod & a Johanne Apoſtolo*

profectum voluit) *tam turpiter erratum eſt.* Reſpondeo, primo de Chriſti ætate, quod *Magdeburgenſes hanc opinionem Irenæi inter ſtipulas ejus recenſent* Cent. 2. c. 10. quæ quidem Irenæum aut ſeniores Aſianos unde traditionem acceperat, nec Hæreticos nec ſchiſmaticos denominabat, ut quæ forſan e non rite obſervatis Synchroniſmis fluxiſſet. Secundo de opinione Chiliaſtarum referunt Magdeburgenſes, *Irenæo Chiliaſtarum errorem tribui quod ſenſerit corporale aliquod regnum mille annis in terris futurum, antequam in regnum cœleſte traducerentur Chriſtiani; ſicut Hirconymus & alii referunt: verum hoc* inquiunt *in ipſius ſcriptis quæ nos habemus, tam expreſſe cernere non licuit.* Nec ego opinor Sanctum Johannem revelaſſe Papiæ vel cuivis alii ea quæ Spiritus Sanctus revelanda noluit; ideoq; quamvis crediderim Papiam audiviſſe Johannem Apoſtolum loquentem ea quæ (Papia homine quidem pio, ingenio verùm minus perſpicaci judice) millenariorum doctrinam ſonarent; hæc tamen nulla alia eſſe quam quæ ipſe Apoſtolus in ſcriptis reliquit. Apoc. 20. 6. *Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima in hos enim ſecunda mors non habet poteſtatem; ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum eo mille annos.* Quæ verba perperam intellecta non Papiæ ſolum ſed & aliis Chiliaſtarum errori faviſſe videbantur. At verum eſſe fatemur cum eiſdem Magdeburgenſibus Juſtinum Martyrem fuiſſe in errore Chiliaſtarum, nec *turpiter erratum* ab eo eſſe cenſent & Docti & pii hujus ætatis homines, qui opinionem Chiliaſtarum (quamvis non omnes eodem modo) tuentur, iiq; optime de Eccleſia aliter mer ti, fideq; digniſſimi. In re ipſa (obventuram nempe fuiſſe Eccleſiæ poſt Chriſti aſcenſionem incommodorum hujus vitæ compenſationem) nobiſcum

cum conveniunt: de modo tantum & tempore, imo & de loco contendunt, idq; argumentis a Scripturæ locis intellectu difficillimis depromptis: de quibus aliquid certi statuere forsan temeritatis esset, quum ab eventibus potius expectandum sit: quemadmodum enim nonnulla fuerunt in Scripturis δυσνόητα clarenanquam & distincte intellecta ante Christi primũ adventũ; ita multa etiam ænigmata, præsertim in Apocalypsi, esse, non ante Christi secundum adventum solvenda, non dubito, in quibus tamen pervestigandis pia & modesta indagine uti licere non inficior.

Pind. Ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.

Jam proximo in loco de *Paschate* dicendum; cujus observationem fuisse indifferentem affirmamus, receptamq; ab Orientalibus Ecclesiis; nec ab Apostolo Johanne consuetudinem fluxisse nefas est opinari. Quid enim mirum est eas Ecclesias vel jussu vel saltem permissu Apostoli Pascha sic observasse, quum *Act.* 15. Antiochenis quo a *suffocato & sanguine abstinerent* præceptum esse legamus? quam quidem sanctionem partim in desuetudinem tandem recte abjisse comperimus, nullo autem Apostolorum decreto abrogatam legimus. Mos vero sic observandi Pascha altius radices apud orientales ecclesias egerat, quam qui temporis diuturnitate, Concilii Nicæni decreto, vel Ecclesiæ Romanæ conamine aboleri posset. Nec illa traditio intra fines orientalium Ecclesiarum sese continuit; Britannicæ enim eandem receperunt, quam & ingruenti Romanæ Ecclesię Tyrannidi animose reluctantes vel tempore *Augustini* Monachi primi Archiepiscopi Cantuariensis propugnarunt; quod reformatoribus argumento semper fuit & est, has Ecclesias regimen & ritus independenter ab

Ecclesia

Ecclesia Romana olim habuisse, nec Papam universalis Ecclesiæ caput agnitum fuisse. Quantum ad morem Romanæ Ecclesię qui tandem apud nostrates etiam invaluit, inconstans est, erroribus obnoxius, solisque rerum mathematicarum peritis perspicuus; ideoq; non tanti fuit, ut de quo tam acriter a Christianis certatum esset, ut ex subsequentibus patebit. Nicæna Synodus decrevit ut Paschalis solennitas non decima quarta Luna primi mensis secundum consuetudinem Orientalium & Judæorum, sed die Dominico qui 14. Lunam primi mensis proxime sequeretur, fieret. Ac ne qua denuo esset de primo mense controversia, data est provincia Eusebio Cæsariensi, ut adhibitis Alexandrinis, apud quos mathematum studia adhuc vigebant, Cyclum Lunarem dictum Metonicum ceu aureum numerum novendecem annos solares complectentem, quo omnes oppositiones & conjunctiones ad priora loca Zodiaci & temporum principia redire existimatum est, diserte describeret. Verum ne hoc quidem decreto Nicenæ Synodi sublatum est dissidium quin postea atrocius exarserunt contentiones; nec conveniebat Romanis Episcopis cum Alexandrinis donec quidem Dionysius Cyclum Alexandrinum Romanis mensibus inferret. Observatio tamen Paschatis Christianorum hodie usitata forma decreto Synodi non respondet & a recto tramite recedit, idq; duplicem ob causam: prior oritur ex Cyclo lunari 19. annorum quo plenilunium inquiritur, quod Sol & Luna in eisdem punctis præcise non uniantur spatio Cycli ἐννεαδεκαετηρίδος elapso, ac semper aliquid restet quod paulatim sensibilem errorem ingerat: altera causa oritur ex anticipatione æquinoctiorum, quod veteres assignarunt 25. *Martii* æquinoctii verni diem

cum

cum hac ætate in decimum & undecimum diem ejuſdem incidat, quoniam annus Julianus non conſtet pręciſe ex 365. diebus & ſex horis. Et quamvis Calendarium Gregorianum exhibeat nobis æquinoctia & Solſtitia ad ſedes quas tempore Concilii Niceni tenuerunt reſtituta, ceu potius dies menſis iiſdem accommodatos, nihil impedit quin idem error, decurſu temporum, iterum obrepat. His etiam ſubnectere viſum eſt rationem inveniendi Paſchatis ad quemlibet annum Domini juxta receptum morem unde ulterius patebant eaque affirmavimus.

Inquirendus eſt terminus Paſchatis *h.e.* decima quarta Luna primi menſis. Atq; ratio hujus tribus verſibus comprehenditur; qui pro numero annorum integri Cycli conſtat 19. dictionibus.

1. Eſſe Gravem Nobis Bello Karnem Kaveamus.
2. Bellũ Sæpe Gerens Etenim Puto Dejicit Hoſtem.
3. Mox Animæ Lucrum Invenies Cum Relligioſis.

Horum verſuum explicationem tabula ſequens indicat quomodo hinc aureo numero, illinc terminis Paſchalibus quęlibet dictio accommodatur.

Aureus num.	Verſus.	Termini Paſchales.
1	Eſſe	V dies *Aprilis.*
2	Gravem	XXV *Martii.*
3	Nobis	XIII *Aprilis.*
4	Bello	II *Aprilis.*
5	Karnem	XXII *Martii.*
6	Kaveamus	X *Aprilis.*
7	Bellum	XXX *Martii.*
8	Sæpe	XVIII *Aprilis.*
9	Gerens	VII *Aprilis.*
10	Etenim	XXVII *Martii*
11	Puto	XV *Aprilis.*

12 ——— Dejicit ——— IIII *Aprilis.*
13 ——— Hoſtem ——— XXIIII *Martii*
14 ——— Mox ——— XII *Aprilis.*
15 ——— Animæ ——— I *Aprilis.*
16 ——— Lucrum ——— XXI *Martii.*
17 ——— Invenies ——— IX *Aprilis.*
18 ——— Cum ——— XXIX *Martii.*
19 ——— Religioſis ——— XVII *Aprilis.*

Jam ſi dictio aſcripta aureo numero deſinat in M. tunc a fine Martii tot dies retro numerandi ſunt quota eſt prima litera ejus dictionis. Si deſinit in aliam quamvis literam, tunc ab initio Aprilis porro numerabis ſimiliter tot dies quota eſt prima illius dictionis litera. Finis hujus numerationis Terminum Paſchalem oſtendit, quem dies Dominicus ſequens Paſcha eſt. Quod ſi Terminus Paſchalis inciderit in diem Dominicum tunc Paſcha ad proximum diem Dominicum differendum eſt. Nam *Terminus & Paſcha nunquam celebrantur ibidem. Lux teneat Dmini poſt terminum proxima feſtum.*

Regula.

Paſcha nec undenas Aprilis ante Calendas
Nec poſt ſeptenas Maii valet eſſe Calendas.

His Reg. & Tab. *Exempla* de proprio adjicenda. Inquirendus eſt Terminus Paſchalis ad Annum Dom. 1655. Aureus numerus eſt 3. Dictio aſcripta ternario eſt *Nobis.* Hæc non deſinit in M. quare numera ab initio *Aprilis* 13 dies, ſicut monet litera N & proximus dies Dominicus eſt dies Paſchalis *viz. April.* 15.

Aliud

Aliud Exemplum.

Anno D. 1656 Aureus numerus eſt 4. Dictio aſcripta huic numero eſt *Bello*. Hæc non deſinit in M. quare numera ab initio Aprilis 2 dies ſicut monet litera B. ergo 2 dies Aprilis eſt terminus Paſchalis; ſequens vero dies Dominicus Paſcha ipſum Apr. 6. Annus biſſextilis eſt. Et lit. Dominica. E.

Aliud.

Anno 1657. Aureus numerus eſt. 5. Dictio aſcripta eſt Karnem: quæ deſinit in M. proinde tot dies a fine Martii retro numeraudi ſunt, quot litera K docet, *h.e.* 10. Terminus igitur eſt Martii 22. Paſcha vero Martii 29. quoniã Terminus in diem ipſe Dominicum incidit, ideoq; Paſcha ad ſequentem diem Dominicum differendum eſt, ſecundum regulam ſupradictam.

Terminus & Paſcha nunquam celebrantur ibidem.

His etiam adhibenda eſt ratio inveniendi aureum numerum, quæ procedit dividendo annum Domini addita unitate per 19. & Cyclum ſolarem ad quemlibet annum propoſitum, quæ operatur dividendo Annum Dom. additis 9. per 28. & literam Dominicalem anniproposiți quæ progreditur aſcribendo unam (vel ſi annus biſſextilis ſit, duas) ſeptem literarum, cuilibet Cycli ſolaris numero, incipiendo a $\left\{\begin{matrix} G \\ F \end{matrix}\right\}$ quoniam Cyclus ſolaris ab anno biſſextili ſemper inchoatur, quæ omnia ſunt cruciatus imperitorum, nec ſic re-

gulæ Chriſtianorum ut a quibus olim diſſentientes diverſam traditionem amplexi turpiter erraſſe cenſendi ſint.

6. At quamvis M. *Tombes* Teſtimonium ab Irenæo deſumptum, eſſe Irenæi non eat inficias; tamen non vult baptiſmum per *Renaſcentiam* deſignari, quoniam dicitur quod per eum (ſc. per Chriſtum) renaſcuntur in Deum, quum Chriſtum *neminem baptizaſſe* legamus, *Joh.* 4. 1. Reſpondeo. *Quod quis jubet ab alio fieri id per ſeipſum fieri dicitur.* Itaq; licet Chriſtus neminem baptizaret, tamen aliis baptizandi munus mandans baptizaſſe recte dicitur. Et ob hanc rationem, c. 3. v. 22. diſertis verbis dicitur eum baptizaſſe, non famam fuiſſe eum baptizaſſe; & v. 26. dicitur, *Ecce baptizat & omnes veniunt ad eum.*

7. At inquit M. *Tombes præterire non poſſum falſarium eſſe Savagium, qui ut ſuo inſtituto verba Irenæi accommodaret, ſic verba Irenæi protulit, ait, omnes per Baptiſmum venit ſalvare.* Cui Reſpondeo, quod voluit *Savagius* accommodare *Renaſcentiam* ſuo inſtituto, in quo vocabulo tota vis argumenti ponitur, ut ſatis patet; proinde manifeſta calumnia eſt dicere *Savagium* accomodare voluiſſe *Baptiſmum* inſtituto ſuo, in quo non omnino laborabat. Animitus igitur vellem M. *Tombes* non fuiſſe ſic in laqueo primi Calumniatoris detentum, ac iſtiuſmodi notam præterire non potuiſſe; cui quidem idem accidit quod gallinis & pullis ingenitum eſt, qui granum bonum & ſalubre faſtidientes, quiſquilias & vermiculos in angulis & ſtircoribus quæritant. Occurrit etiam in ſuppoſitione λογικὸν βάπτισμα pro λογικὸν ὕδωρ ex Clemen. Alex. adm. ad G. quod quamvis eodem redeat, tamen credo M. *Tombes* invitum præteriiſſe.

8.

8. *Male item* inquit M. *Tombes ſe habet quod Doctor iſte non ſolum in veſperiis & impreſſo codice dicit Opinionem quandam de baptiſmo Juſtini operibus adjunctam, ſed etiam poſt monitum peregrini non eſſe Juſtini, in Epiſtola ad lectorem ait, nec equidem video cur non eſſe Juſtini audacter pronunciarem.* Reſpondeo quod quid ad eruditum peregrinum reſpondebam liquet ex ipſa Epiſtola mea ad Lectorem, nempe meam non fuiſſe provinciam probare opinionem eſſe Juſtini, ſed alicujus illius ſeculi. Non autem video cur non ipſius Juſtini ſit. Quibus enim oculis (dic amabo) aliter cernerem? non eis quos mihi accommodavit peregrinus ille, qui fuerunt eorum, qui hanc opinionem minus ſanam eſſe, proinde Juſtini non eſſe putarunt; re namque ad examen revocata, ſano ſenſu non eſſe inſanam deprehendi; ideoque non obſtante peregrini illius ratione non videbam cur non eſſe ipſius Juſtini audacter pronunciarem. 2. Non oculis cenſorum librorum quorum meminit M. *Tombes*: conſentiunt enim ii non eſſe Juſtini proprium iſtud opus, ut quod ex variis hominũ laboribus conſarcinatum forſan ſit, ut notat *Grotius*: de iſta vero opinione a me notata nihil teſtantur non eſſe Juſtini. Præterea ſi totus liber vel ſaltem maxima ejus pars non Juſtini eſſe cenſeretur, cur ſub nomine Juſtini Typis (idq; procul dubio ab ipſis librorum cenſoribus) mandatur? Vel cur non genuinus Author hujus (ſi ita ſit) pſeudo-Juſtini in lucẽ tandem poſt tot ſecula prodit? ſi prodiret talis & auſpicato prodeat) quid inde lucri faceret M. *Tombes* cum de praxi Pædobaptiſmi teſtetur quod erat probandum?

9. Non diffitetur M. *Tombes Tertullianum non obſcure innuere Pædobaptiſmum, ſed ita ut ab eo dehortetur*

pluribus rationibus. Reſpondeo, provinciam mihi eſſe probare praxin baptiſmi quam Tertullianus innuit. quantum autem ad Conſilium ejus de cunctando baptiſmo, non deſunt qui volunt hæc de baptiſmo infantum Ethnicorum intelligi; ſin aliter, nulla ſana prorſus ratione nititur, quæ hujuſmodi eſt, uti referunt Magdeburgenſes. Quid enim, inquit ille, *neceſſe eſt ſponſores periculo ingeri; qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones poſſunt, & proventu malæ indolis falli?* Reſpondeo, quod iſtiuſmodi promiſſiones præſumuntur fieri ſub conditione quod ſponſores vixerint, ideoq; propter mortalitatem plures adhibuerunt: poſſuntq; falli ſponſores circa decretum Dei de infantibus, & ipſorum infantum fidem: at non poſſunt falli de ſuis intentionibus erudiendi eos pro quibus ſuſcipiunt: nec poſſunt falli de externa fidei profeſſione in parentibus, virtute cujus liberi eorum in fœdere ſunt, eo modo quo alibi explicuimus. Atque hinc obiter notandum eſt, uſum fidejuſſorum æque ac baptiſmum tempore *Tertulliani* obtinuiſſe. Secundo *nolite* inquit, *illos prohibere ad me venire: veniant ergo dum adoleſcunt.* Reſpondeo, dicitur in textu, *ſinite parvulos ad me venire: at veniant dum adoleſcunt* idem eſt ac ſi dixiſſet, *ſinite adoleſcentes*; idq; contra ſcopum ipſius textus. *Quid* inquit ille, *feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Reſpondetur ex textu *talium eſt regnum Cœlorum*, ergo ad Chriſtum adducendi ſunt; *cautius* inquit *agetur in ſecularibus, ut cui ſubſtantia terrena non creditur, divina credatur?* Reſpondeo, ſuppoſitionem hic erroneam eſſe: ſubſtantia namq; terrena ſæpiſſime creditur infantibus, ut ſuperius annotavimus: *norint* inquit *petere ſalutem, ut petenti dediſſe videaris.* Reſpondeo, eadem ratione dici poſſe

posse, *Norint* infantes petere hæreditatem terrenam ut petenti dedisse videaris, quod absurdum est; cum ipsa necessitas ac rei familiaris carentia in infantibus satis in se habeant petitionis, & materialiter (quemadmodum loquitur Quintilianus in institutionibus) persuadent.

10. M. T. non negat testimonium Nazianzeni esse genuinum, quod dicit *omni ætate baptisma convenire infantũ vero baptisma differendum esse nisi periculum ingruat mortis.* Respondeo, si in aliquo casu infantes baptizandi sint, tum Pædobaptismus est licitus, quod fuit probandum. Ratio autem cur nonnulli baptismum differendum putarunt, inferius exhibebitur.

11 M. *Tombes* non negat testimonia Hieronymi & Chrysostomi: Dicit vero *praxin Pædobaptismi autoritate Augustini, qui nisus est Epistola Cypriani ad Fidum usq; ad seculum 16. fulcitam esse.* Resp. quod Augustinus non vult praxin Pædobaptismi sua autoritate fulciendam esse sed universali traditione Ecclesiæ quemadmodum in suppositione annimadversum est. Secundo, verum est Savagium dixisse testimonium Augustini *instar omnium fuisse ejusdem seculi*, non omnium seculorum subsequentium, pro quibus Gregorium, Isiodorum, Bedam, Legem Saxonicam, Hincmarum, Smaragdum, Anselmum, Lombardum, Aquinatem, Durandum, Bonaventuram, Basilium, Capreolum, Gabrielem Biel adduximus. Tertio Praxin Pædobaptismi non solum Scripturæ autoritate, sed & multis patrum ante Augustinum testimoniis fulcitam esse probavimus ideoq; non recte dixit M. T. auctoritate Augustini solius eandem sustentari.

12. *Quod vero* inquit M. *Tombes ad Epistolam Cypriani attinet, nihil ea de praxi Pædobaptismi in seculis superioribus*

ſuperioribus aut de traditione univerſali ab Apoſtolis deducta, imo nec de univerſali ſui ſeculi praxi refert. Reſpondeo in contrarium, quod hæc omnia imprimis praxis Pædobaptiſmi & univerſalis ſui ſeculi traditio ſuperius in hac Sectione, (Paragr. 1.) liquido evincuntur ex ipſa Cypriani Epiſtola, ad quam Lectorem remitto: at rationem M. *Tombes* aliquantiſper perpendamus, quæ hujuſmodi eſt, nempe *Cyprianum* quidem *erraſſe circa virtutem baptiſmi*, num ideo ſequitur illum erraſſe circa *traditionem* baptiſmi? Nihil minus. Cognitio *virtutis* baptiſmi ad *intellectum* pertinet, cognitio traditionis ad *ſenſum*: at ubi quæſo eſt tam gravis error Cypriani? non inficias eo errores decurſu temporum in ſacramenta irrepſiſſe: in verbis vero Cypriani a M. *Tombes* allegatis, errorē tam gravem, ut qui vel Indicem expurgatorium, vel charitatem noſtræ taciturnitatis deſideraret, non deprehendo. Verba ſunt; *non aſſenſum Fido dubitanti an ante octavum diem infans eſſet baptizandos, ſed judicatum ab univerſis nulli hominum nato miſericordiam Dei & Gratiam denegandam, quippe filius hominis venit ut animas ſalvaret, & quantū in nobis eſt, ſi poſſit fieri, providendū ne pereant.* Reſp. quod negare gratiam Dei in præſenti negotio, eſt negare ſigillum gratiæ Dei (cujuſmodi baptiſmus eſt) quod quidem privilegium ex ſua gratia fidelibus indulſit Deus hanc autem gratiam denegare ulli hominum nato, nefas eſt: & cum baptiſmus conferatur in ordine ad ſalutem baptizatorum æternam, ex conſequenti confertur in ordine ne pereant; proinde providere eorum baptizationi eſt providere ne pereant ſine qua (quum externa ejus adminiſtratio in noſtra poteſtate ſitaſit) anime eorum (quantum in nobis eſt) pereant: ideoq; recte baptizari

tizari poſſunt (non dicit neceſſario baptizandi ſunt) ante octavum diem.

13. Quod autem ad illud attinet, quod M. T. urget contra Cyprianũ quod *exiſtimaret hæretieos ab Eccleſiæ conſortio ſemotos nihil agere baptizando.* Reſpondeo, quod hoc non intelligendũ eſſe de cujuſcunq; furſuris hæreticis videtur, ſed de iis ſolis qui Trinitatem negarunt, uti colligitur e quibuſdam Cypriani reſponſionibus ad objectiones quæ recenſentur a Magdeburgenſibus *cent.* 3. *c.* 8. atq; hoc canoni 19. *Concilii* Nicæni conſonum eſt; in quo decretum eſt ut a *Paulianiſtis ad Eccleſiam Catholicam confugientes baptizentur omnimode.* Super quo ὁμίκεια Oſiandri hæc eſt. *Cataphryges (quibus conſenſiſſie exiſtimo Paulianiſtas) de Trinitate non recte ſenſerunt, & Chriſti divinitatem negarunt: ideoque recte rebaptizati ſunt quando ad Eccleſiam Chriſti redierunt.* Secundo (dato quod de hæreticis in genere intelligatur) Reſpondeo ex Eraſmi Epiſtola, quæ Cypriano præfigitur, *errorem fuiſſe ſimplicem non ex ambitione malitiave profectum, atq; hæc ſententia non uni placuit Cypriano, verum pleriſq; omnibus Africæ, Numidiæ, Mauritaniæq; Epiſcopis, quod abunde perſpicuum eſt ex actis Synodi Carthaginenſis.* Tertio, *ſunt* inquiunt Magdeburgenſes *qui affirmant Cyprianum hujus ſuæ ſententiæ de baptizandis hæreticis palinodiam cecineriſſe.*

14. Quantum autem ad conſuetudinem dandi Euchariſtiam infantibus; nulla M. *Tombes* verba Cypriani recitat. Nec quidquam habet Cyprianus ipſe (quod ſciam) ſuper ea re, quam quod ſermone quinto de lapſis narrat, unde nihil certi de danda Euchariſtia infantibus elicitur: factum quippe fuit extraordinarium Diaconi erga puellam a Diabolo poſſeſſam

ignoratione in ſacram ſynaxin introductam unicamque Sacramenti ſpeciem (vinum ſc) deglutire coactam: proinde neutiquã probatur hinc Sacramentum datum eſſe puellæ, multo minus innuitur morem fuiſſe id dandi parvulis.

15 Quantum deniq; ad Clinicorum baptiſmum attinet, M. *T.* nec verba profert, nec rem explicat; ipſe autem lego Cyp. *l.* 4 *Ep.* 7. probantem, *exemplo Clinici de Evangelio paralyſtici ſc. illius debilis per longa ætatis curricula in lecto jacentis, nihil infirmitatẽ corũ obeſſe quo minus ad firmitatẽ cæleſtem pleniſſime pervenirent: & idcirco quantum fide concipere & ſentire nobis datur, mea ſententia* inquit *hæc eſt, ut Chriſtianus judicetur legitimus quiſquis fuerit in Eccleſia lege Dei & jure fidei divinam gratiam conſequutus.* Quod ad alĩus generis Clinicos attinet, pro eis nos ad *Hippocratem & Soranum* relegat *Cyprianus* ibidem: atq; in his omnibus nihil reperio quod teſtimonium *Cypriani* de praxi Pædobaptiſmi (quæ provincia noſtra eſt) valeat infirmare.

16. Ad Auguſtinum deſcendamus; de quo dicit M. *Tombes*, quod *durus infantum Pater* a quibuſdam habebatur. Reſpondeo, ipſum durum infantum Patrem habitum fuiſſe, non reſpectu Doctrinæ Pædobaptiſmi ſimpliciter, ſed quoniam neceſſitatem abſolutam ejuſdem ſtatuerit; qua in re quid ſi erraverit Auguſtinus? Num ideo mendacium orbi Chriſtiano obtruſiſſe illum ſequitur? nihil minus. Humanum eſt errare, at mentiri vix Chriſtianum. Forſan ſera poſteritas tot errores in nobis comperiet, quot nos in veteribus deprehendimus. Nec ideo (ſpero) de traditione aliqua minus credendi cenſebimur. Nec Auguſtinus primus erat hujus de baptiſmi abſoluta neceſſitate opinionis author (ut vult M. *Tombes*) quum eandem, ante exortam

ortam de originali peccato controverſiam, in Eccleſia obtinuiſſe, vel ex ipſis Pelagii conceſſionibus ſuperius notatis Paragr. 3. hujus Sectionis ſatis liquet: quod ad loca a Magiſtro *Tombes* ex Auguſtino allegata; incumbit ei probare ea omnia eſſe ipſius Auguſtini, quum multa, quæ vulgo *Auguſtino* aſcribuntur etiam in hac ipſiſſima controverſia, non eſſe Auguſtini patebit inferius in hac Sectione; quin & quædam Auguſtino aſcripta ipſius Pelagii eſſe notat peritiſſimus antiquitatis indagator Archi-Epiſcopus *Armachanus* in Hiſtoria de Godeſcalco, ſive continuatione Hiſt. Pelag. c. 1. quin & ipſiſſima fere verba M. *Tombes* hic Auguſtino aſcripta (nempe *aditum ad regnum Cælorum ſine baptiſmo neutiquam concedi*) eſſe ipſius Pelagii ſuperius probavimus. Unde liquet Pelagium poſuiſſe diſcrimen inter remiſſionem peccatorum & aditum ad Regnum Cœlorum adoptioniſq; gratiam; aditumq; ad Regnum Cœlorum infantibus baptiſmo fieri, adoptionemq; acquiri, remiſſionem vero peccatorum (cum ſupervacaneum ab eo putaretur) eis non impetrari; fruſtra igitur eſt quod hic ait M *Tombes, non alia ratione quidam ea ab originali peccato deſumpta quenquam e veteribus uſq; ad ſeculum* 16. *infantium baptiſmum aſſeruiſſe.*

17. In quod autem M. *Tombes* dicit, quod *per ſecula Auguſtinum antecedentia infantes non niſi in periculo mortis baptizatos fuiſſe.* Reſp. quod ſi hoc infantibus in periculo mortis indultum fuerit, tum licitum quidem habebatur, quod fuit nobis probandum. Hæc autem non fuit praxis Eccleſiæ, ſed conſilium quorundam celebrium hominum (qui eo ipſo praxin ejus agnoverunt ſatis) quorum aliqui verbo & exemplo ad alios paſcendos ab incunabulis deſtinati propriis bap-

tiſma etiam ultra adoleſcentiam diſtulerunt; ne poſt baptiſmum in enormia, quibus prona eſt juvenilis ætas prolapſi eccleſiæ eſſent ſcandalo & converſioni aliorũ impedimento; nam aliter jam adulti & in religionis capitulis ſatis diu inſtructi graviter (vel ipſo M. T. Sect. 7. judice) erraſſent. verba enim ipſius ſunt. *Non ingrediuntur in regnum Cœlorum qui ex aqua non regenerantur h. e. non baptizantur quum ſciant præceptum, & baptiſmus haberi poteſt; quippe aliter Chriſti contemnunt inſtitutum.*

18. At ex his *Auguſtinus parem* inquit, M. *Tombes neceſſitatem Euchariſtiæ infantibus porrigendæ aſſeruit. l.* 1. de peccatorum merit. Et remiſſione c. 20. Reſpondeo. 1. Quod iſta ratio valet ad probandum baptiſmum eſſe parvulis neceſſarium, quoniam author ejuſdem libri vult ibidem baptiſmum eſſe, Euchariſtiæ neceſſarium præcurſorem. 2° non aſſerit univerſalem & Apoſtolicam eſſe traditionem dandi Euchariſtiam infantibus, ſed ſuam ipſius ſententiam proponit ex illo (*Joh. 6.*) *niſi manducaveritis carnẽ meã & biberitis ſanguinem meum non habebitis vitam in vobis*) male intellecto *natam. At* inquit M. *T. Aug. c.* 24. *ejuſdẽ l.* Apoſtolicã *vult traditionem.* Reſp. illum ibidem *exiſtimaſſe* tantum non certo *ſciviſſe, Chriſtianos Punicos* tenuiſſe talem neceſſitatem Sacramentorum fluxiſſe ab Apoſtolica traditione: atq; hanc ſuam ipſius conjecturam a Scriptura male intellecta ei in mentem veniſſe patet: primo enim neceſſitatem dandi Euchariſtiam infantibus in illo Joh. 6. fundari credidit; ideoq; Secundo in loco morem ipſum ab Apoſtolis manaſſe ſtatuit. Probat etiam (inquit M. *Tombes*) *Auguſtinus Cypriani Epiſtolam de lapſis.* Reſpondeo, quod nihil de danda Euchariſtia infantibus peculiariter ibi probat, quam quod jam-

jamjam ex Serm. 5. Cypriani de lapſis adnimadverſum eſt. Cui reſpondetur Paragr: 14. hujus Sectionis. etiam, *Eraſmus* inquit *Ad: Tombes notat ex Epiſtola Innocentii primi quæ inter Auguſtini Epiſtolas 93. Eccleſiam Rom. credidiſſe Euchariſtiam infantibus neceſſariam.* Reſpondeo, Eraſmum hoc tantum, collegiſſe ex illa Epiſtola Innocentii Pontificis Romani, qui neceſſitatem dandi Euchariſtiam infantibus pariter ex illo loco male intellecto Joh. 6. ſtatuit: verum an tota Eccleſia Romana in eandem cum pontifice ſuo coiere ſententiam incertum eſt, præſertim cum aliter jam docuerit; atq; huic rei teſtimonium erhibet Eraſmus annot. in Aug. L 1. c: 20. de pecc: Mer. & remiſſ. etiam *Aquinas* parte 3. q: 73. art. 3. ubi ad primum reſpondetur ad illum Joh: 6. Locum, idq; ex ipſo Auguſtino eundem aliter quam de corporalis manducationis neceſſitate exponente. Tract 26. in Jo. Tom. 9. *unde ſicut ipſe dicit in Epiſtola ad Bonifacium nulli eſt aliquatenus ambigendum tunc unumquemq; fidelium corporis ſanguiniſq; Domini participem fieri, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis caliciſq; conſortio etiamſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat de hoc ſeculo in unitate corporis Chriſti abſcedat.* " Quæ Loca cum ſint " *Auguſtini* genuina ſatis probant omnia quæ in " contrarium allegantur eſſe ſpuria nec *Auguſtini* propria quamvis inter opera ejus recenſeantur. 2. *Auguſtinus* ſcripſit librum de prædeſtinatione & gratia; *in quo,* inquit *Voſſius docetur potuiſſe Deum juſte hominem damnare etſi non peccaſſet.* L. autem 2. de peccatorũ meritis & remiſſ. idem negatur, ideo probabile eſt Libros de *pecc. Mer. & remiſſ.* ſaltẽ totos, non eſſe Auguſtini, etſi *Voſſius* ob hanc rationẽ illum de Prædeſtione &

gratia non esse Augustini (Conject. L. 1. hist. Pelag. c. 16.

§ 19. His positis, sequitur Regulam Augustini a me in suppositione memoratam non esse Eucharistiæ infantibus dandæ accommodatiorem quam Pædobaptismo, ut satis incaute hic scripsit M. *T.* 1. Quia nititur dubiis paucorum testimoniis Eucharistiam parvulis dandam esse. 2. quia repugnat etymo vocabuli Eucharistiæ ipsius, quæ ideo sola oratione Dominica cum gratiarum actione primis temporibus celebrabatur, uti notat Cassander in Liturgicis. 3. Quia si mos dandi Eucharistiam parvulis obtinuisset, in desuetudinem cito abiit, & consequenter improbatus fuit. 4. Quia praxis Pædobaptismi sole clarius innuitur ab eis qui eandem quoq; modo dissuaserunt. 5. Quia Pædobaptismi praxis supponitur a concilio 66. Episcoporum, non ibi instituitur, ut superius diximus in ista Sectione Paragr. 1. quantum ad alias contra *Augustinum* M. *Tombes* objectiones, quam nihili sunt ex antedictis liquet, patetq; deniq; Doctorem *Savage* Augustini regulam de praxi baptismi (de qua Augustinus ipse intelligi vult) non de efficacia baptismi instar omnium audiendam velle.

SECT.

SECT. XIII.

Oſtenditur illud, quod M. Tombes contra Marſhallum *ſcripſit, non manere invictum, nempe Pædobaptiſmum eſſe nuperam innovationem. Argumento petito a concilio Neocæſarienſi reſpondetur, etiam ad conſilium quorundam de baptiſmo differendo. De Berengario, Petrobruſianis & Heinricianis agitur. Teſtimonium Bernhardi &c. contra eos invalidum eſſe oſtenditur. De Waldenſibus etiam nonnulla, de Albingenſibus pauca notantur.*

1. VT autem ea quæ M. *T.* in ſuperioribus tradidit plus adhuc ponderis haberent, dicit *illud quod ſcripſit contra Marſhallum adhuc ſtare invictum* (victoriam enim ille, ego vero veritatem aucupor) nempe *baptiſmum infantũ juxta Doctrinam Eccleſiarum reformatarum ad mentem Calvini, eſſe nuperam innovationem, non ante ſeculum decimum ſextum inchoatam. viz. Baptiſmum eſſe privilegium infantibus fidelium debitum divino jure, ex eo quod in fœdere ſint Evangelico una cum parentibus.* Sed reſpondeo, quod ſi ſit nupera innovatio, tum vel quoad ſubſtantiam & veritatem rei, vel quoad circumſtantias ceu appendices; vel quoad dogmata de efficacia baptiſmi. Non quoad ſubſtantiam ceu rei veritatem, quod confirmatur non ſolum ex ipſa Scriptura, ſed & Teſtimoniis hominum, quorum fides a ſcrupulis per M. *Tombes* injectis in ſuperioribus etiam vindicatur: ergo reſtat quod ſit quoad circumſtantias ceu appendices baptiſmi, vel dedeniq;

deniq; quoad dogma de baptiſmi efficacia. Quorũ etſi neutrum adhuc probatur, tamen utrumq; datum non valeret ad probandum Pædobaptiſmum eſſe illicitum aut nullum, quũ pari ratione liceret inferre totam religionem Chriſtianam eſſe illicitam aut nullam, quoniam non deſunt homines de multis ejus, iiſq; non levioris momenti capitulis perperam ſentientes ritibuſq; Eccelſiæ abutentes, ſed falſo: Eccleſiæ enim Chriſtianæ & religionis capitula non ſunt propter corruptiones abolenda, ſed a corruptelis hominum vindicanda. at iſta (puto) in medium protulit, inconſultius M. T. non attendens hoc Argumentum æque contra baptiſmum adultorum, ac infantum militare, quũ corruptiones in adultorum baptiſmum etiam irrepſerint.

2. Inſtitutum autem ſuum (quicquid ſit) confirmat pluribus argumentis: ad quinq; priora jam in ſuperiori ſectione reſponſum eſt. Sexto, urget canonẽ concilii Neocæſarienſis: *quæ* inquit quanquã *de puero in utero dicuntur, ratio tamen generalis ad omnes natos pertingit.* Reſpondeo, quod canon iſte fuit de baptiſmo catechumenę pręgnantis; nempe nihil eo utilitatis ad Embryonẽ derivari ſtatuit, & recte quidẽ: nihil enim per baptiſmum Gravidæ, embryoni actu communicatur pręter jus ad futurum, ſi natus fuerit, baptiſmum. *At* inquit canon, *unius cujuſq; propoſitum ſuum in confeſſione declaratur.* Reſpondeo, quod frequens Apoſtaſia baptizatorum inter ethnicos degentium occaſionem dedit quibuſdam differendi & diſſuadendi baptiſmũ infantum ex nuperrime factis Chriſtianis natorũ quantumvis ad miniſterium ſacrum non deſtinatorum. Atq; hinc eſt (quemadmodũ dicunt nonnulli, & ex ipſo *Tertulliano* colligitur) quod viſum ſuerit *Fidejuſſores* adhibere; ut his de perſeverantia eorum melius caveretur

retur ; Quamvis altius petenda cenſeatur fidejuſſorum origo, ſc. a more Judæorum qui fidos teſtes in circumciſione infantum & eodem tempore in nominum impoſitione elegerunt. De qua re vide Jun in *Eſa.* 8. atq; horum munerum (quum non ſint ἀναγκαῖα) introducto poſteriori prius non ne ceſſario abrogatur. Inter nos autẽ hodie (quũ Chriſtiani omnes ſimus non facti ſolum, ſed & eo quo diximus modo nati) *apoſtaſia* nec frequens nec timenda, ideoq; nec baptiſmus jam ad adultam ætatem differendus. 7. urget M. *T. morem Eccleſiæ baptizandi in feſto Paſchatis & Pentecoſtes*, Et auctoritatem *Chamieri* dicentis, *vix milleſimum non adultum baptizari.* Reſpondeo, quid Impedivit infantes etiam in iſtis feſtis baptizari? Aliquos etiam (quanquam vix milleſimum) tunc temporis infantes baptizatos eſſe Chamierus ipſe eo teſtatur. 8° Exempla urget ſuperius prolata de baptiſmo *Nazianzeni, Hieronymi, Auguſtini uti & Conſtantini Magni, & forſan Chryſoſtomi, & Ambroſii, quibus probaret e parentibus Chriſtianis natos, non ſolitos ante adultam ætatem niſi morte vicini eſſent baptizari.* Reſpondeo, quod ſi in vicinio mortis baptiſmum infantibus conferendum crederent, ſequitur, *Pædobaptiſmum licitum eſſe* juxta mentem ipſorum, quod fuit probandum 2. Dico quod Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur Conſtantinum volentem baptizari in fluvio Jordane (qui Chriſto baptiſterio fuerat) baptiſma ſuum diſtuliſſe. Quantum ad reliquos breviter dicendum, vel eos Novatianorum dogmate (quod fuit *nulli poſt baptiſmum lapſo pœnitentiæ Locum dari*) ad tempus perterrefactos eſſe ; vel potius (uti Sect. præcedente Paragr. 17. diximus) ad ordines Eccleſiaſticos ab incunabulis deſignatos baptiſma ſuum diu diſtuliſſe; qui quidem Valetudina-

rii ideoq; citius baptiſmum conſequuti, poſtmodum ad Preſbyteratum ab eccleſia agre promovebantur, ut patet ex Canone *duodecimo* Concilii Neocęſarienſis. Canon hic eſt. Ἐὰν νοσῶν τις φωτισθῇ &c. *Siquis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem præsbyterii non poteſt promoveri, quod non ex propoſito fides ejus, ſed ex neceſſitate deſcendit; niſi forte propter ſequens ſtudium ejus & fidem atq; hominum raritatem talis poſſit admitti.* Ad quod nono in loco urget M. *Tombes* jam ſępe reſponſum eſt, nempe *ſymbolum reddendum* eſſe ab adultis baptizandis, non ab infantibus, & in quibuſdam eccleſiæ ætatibus, nonnullos, ob rationes quibuſdam prędictas, non fuiſſe extra periculum Mortis baptizandos. Argumentum decimum eſt *Lud. Viv. in Aug. de Civ. D. Neminem olim Baptiſterio admovendum eſſe, niſi adulta jam ætate &c.* Reſp. quod contrarium evincitur ex ipſis *Auguſtini* operibus; nec Pędobaptiſmus fuit inventum *Auguſtini* contra Pelagianos, quemadmodum ſuperiori Sectione demonſtavimus. Vocabulum vero *Mimice* eſt Magiſtri *Tombes* non Auguſtini aut Lud. Vivis 11. arg. M. *Tombes* eſt Walafredi Strabonis, dicentis *baptiſmum infantum primo introductum fuiſſe a Cypriano Auguſtino, & Concil. Affricanis propter Originale peccatum.* Reſpondeo, Doctrinam Originalis peccati baptiſmum infantum non introduxiſſe; quum ipſe *Pelagius* (ut ſuperius abunde probavimus) originale peccatum negavit, baptiſmum nihilominus infantum (etiam quum commodiſſima daretur improbandi occaſio) approbaverit. Duodecimum argumentum M. *Tombes* ſumitur a Doctrina *piorum & Doctorum virorũ qui ſeculis undecimo & duodecimo Pædobaptiſmũ una cum aliis corruptelis oppugnabant:* pro cujus rei Confirmatione adducit teſtimonium *Bernhardi Serm.* 66.

66 in Cantica. *Epiſt.* 240. *Petrum Cluniacenſem &c.* Reſpondeo, quod *Berengarius* vixit quidem ſeculo undecimo, ita vocatus ab *Andegavia* (vulgo *Angers*) cujus eccleſiæ erat ſacerdos (etiam ſecundum Spondanum, Archidiaconus, ad annum 1059.) compoſito vocabulo a *Ber.* & *Angers* ope metatheſis. Hic *Ber* recte de Euchariſtia ſentiens multa paſſus eſt; Sed an aliquid contra baptiſmum ſtatuerit, adhuc incertum eſt. Spondanus ad annum 1035. in Epitome Annalium Baronii adducit *Epiſtolam Durandi Leodienſis Epiſcopi ad Henricum Galliæ Regem*, teſtantem illum, una cum Brunone Epiſcopo Andegavenſi, *Legitima conjugia deſtruxiſſe, & baptiſmum parvulorum evertiſſe.* Iſta vero ei per calumniam afficta fuiſſe, vel quam citiſſime eiſdem ſponte renunciaſſe credendum eſt; quoniam in concillio Lateranenſi tantum hæreſeos (ita enim a Pontificiis putatur) circa Euchariſtiam accuſatus eſſet. vid. Spondanum An. 1059. & ſummam Barthol. Carranzæ in vita Nicolai Papæ. Seculo duodecimo de *Petrobruſianis Heinricianis ſive Apoſtolicis & Waldenſibus* Legimus. *Petrus de Bruis*, uti teſtantur Magdeburgenſes, *& Heinricus ipſi ſuccedens quaſdam ſententias protulerunt in medium unde refutatores ipſis hæreſin impegerunt, eamq; ex ipſorum nominibus inſigniverunt & forte plura quam par erat (uti ſolet plerumq; in hoc pravo mundo accidere) iſtis de Eccleſiæ Coruptelis monitoribus afficta ſunt: profeſſione autem Sacerdos alter, alter vero monachus: docuerunt hi viri in Galliis. Poſt Petrum de Bruis* (unde omnes ejuſdem ſectæ Petrobruſiani nominati) *damnatum & concrematum; Heinricus* (unde Heinriciani appellati, ut teſtatur Cluniacenſis) *animo præſenti eadem profitetur; fuit enim is συνεργὸς Petri* de Bruis *& haluit alios ſuæ Doctrinæ*

ψευδήμους *non paucos.* Hypotheſes Petri de *Bruis* circa baptiſmum fuerunt. 1. *Infantes non baptizari aut ſalvari aliena fide, ſed oportere ſua h. e. propria fide baptizari & ſalvari. Seu baptiſmum ſine propria fide non ſalvare.* in qua nihil continetur contra Pædobaptiſmum, ſed innuuntur tantum qualificationes baptizatorum. 2. *Fidem propriam ſine baptiſmo nihil poſſe. Sed vix* inquiunt Magdeburgenſes) *videtur veriſimile tam fuiſſe craſſos iſtos Doctores ut negarint aperte fidem ſine baptiſmo nihil poſſe, ubi baptiſmus haberi nequit. Ita per iniquam collectionem, ut moris eſt, videtur tale quicquam ipſis affictum eſſe.* 3. *Parvulos infra ætatem intelligibilem Conſtitutos baptiſmo Chriſti non poſſe ſalvari.* 4. *Baptizatos in infantia poſtea adultos iterum baptizandos. An ſic docuerint* (inquiunt Magdeb.) *rebaptizationem non eſt certum: nam malevoli per vitioſas Conſequentias quædam commenti ſunt.* Verum eſt quod invehitur Bernardus Serm. 66. in eos quos nominant *Apoſtolicos, qui dicitabant ſe juxta Apoſtolorum doctrinam vitam inſtituere*; ſed an *Petrobuſianos vel alios* intelligit, nec a me, nec a Magdeburgenſibus percipi potuit. *Eos infantes non eſſe baptizandos docere prædicat* Bernardus. At vel cognovit Authores iſtius ſectæ (quam graviter & ſupercilioſe perſtringit) vel non. Si Cognoverit, tum non potuit neſcire ſectatores Petrobruſianos vel Heinricianos appellari, & minus veraciter dixit hos *nullum* vel *nullos habuiſſe præcurſores unde ſola ipſorum dogmata a Diabolo profecta* concludit, *cum omnes aliæ ſectæ & hæreſes ſolis hominibus originem ſuam* acceptam referant. Sin non cognoverit, tum minus recte egit, ignotos homines, de quorum doctrina & moribus nihil ſibi conſtitit, conviciis proſequendo. *Frequenter* inquit ille, *poſt diurnum populi planſum, nocte inſecuta*

inſecuta cum Meretricibus inventus eſt prædicator inſignis, & interdum etiam cum Conjugatis Ep. 240. item Serm. 66. in Cant. *Non eſt* inquit *apud eo virtutes colere ſed vitia quodam quaſi virtutum minio.* Nec hoc novum aut antea inauditum, quia talia per calumniam afficta Chriſtianis legamus in Minutio Fælici. Quæ cum haud veriſimilia ſint quomodo credendum eſt ei eodem Spiritu, eodem tempore dogmata eorum circa baptiſmum referenti? Quod ſi talia quidem reapſe patrarint nefanda, parum refert reipublicæ Chriſtianæ, an recte vel perperam circa baptiſmum ſtatuerint. Annis vero circiter 40. vel 50. inde elapſis *viz.* circa Annum Domini 1160 *in cætu confitentium nomen Domini, Petrus quidam Waldenſis* [*alii Waldum nominant*] *ab oppido Waldis, ſito in Marchia Galliæ unde erat oriundus,* ut referunt Magdeburgenſes, *ſic appellatus, præcipue pietate excelleb at. Erat autem civis Lugduni, eruditione ſapientia & opibus minime obſcurus. Ab hoc nomen* Waldenſium *toti confeſſorum cætui tributum eſt.* Pauperes vero de Lugduno *dicti ſunt ab eventu: quia erogatis facultatibus in pauperes & ab Antichriſto Romano ejuſq; mancipiis ſedibus ſuis pulſi, & facultatibus exuti, Coacti ſunt oberrare, propriiſq; Manibus victum quæritare.* Leoniſtæ *etiam a Lugduno vulgo* Lions *cognominati ſunt.* Hi in opinionibus orthodoxi fuerunt, ut a Magdeburgenſibus recenſentur ex manuſcripto Libro: qui & eadem in Balæo, & Guidone Perpiniano reperiri referunt. Ut nihil de Pædobaptiſmo ſtatuebant, ita longe poſt tempora, quamvis in eadem centuria, in quibus prædicti Bernardus, & alii claruerunt, extiterunt: ideoq; nihil de eorum Doctrina ex iis (quos teſtes adducit M. *Tombes*) colligi poſſe cenſendum eſt, multo minus de Albingenſium opinionibus, qui ſeculo 13.

exorti ſunt *viz.* circa annum 1206. quiq; (ſi famæ & hominum teſtimoniis fides adhibenda ſit) baptiſmum (non infantum, ſolummodo ſed &) quorumcunq; abjecerunt, eumq; nullius eſſe efficaciæ affirmarunt; quæ, quamvis forſan M. T. arrideant, ipſe per calumniam eis (inter alia) impacta non dubito. *Arg.* 13. *Pædobaptiſmum non habuiſſe ratum ſupericrum ſeculorum viros celebres.* Quare? Quia *colluvies Pontificiorum dicit baptiſmate neminem eſſe plene Chriſtianum ſine confirmatione.* Reſpondeo, hoc prorſus ἀκολουθον eſſe; ſin aliquid momenti in ſe haberet, æque contra baptiſmum in genere, ac adverſus Pædobaptiſmum militaret. Non enim dicit colluvies Pontificiorum baptiſmate ſolos infantes non eſſe plene Chriſtianos ſine confirmatione; ſed neminem, ne adultos quidem. Imo de adultis hoc imprimis intelligitur a colluvie Pontificiorum: quoniam illi docent infantem baptizatum ita Chriſtianum devenire, ut omnia habeat ad ſalutem neceſſaria, quoad ſtatum infantiæ; nam aliter ſecundum doctrinam illorum, actum eſſet de ſalute infantum morientium; quoniam confirmatio ad eos non pertinet. 14. Argumentum ſumitur ab abuſu ſacramenti Pædobaptiſmi, & ab *aberratione ab inſtituto Chriſti*; quod recocta crambe eſt, & in ſuperioribus ſatis ſuperq; refutatur.

3 Jam rejectis rationibus M. *Tombes* ad Pædobaptiſmum moventibus, rationem noſtræ ſententiæ paucis referam.

1. Infantes fidelium eſſe fœderatos proinde baptizandos.

2. Pædobaptiſmum eſſe mandatum a Chriſto ex vi neceſſariæ conſequentiæ.

3. Univerſ. Ius traditio praxeos, etſi errores decurſu

ſu temporis irrepſerint. Nam Cicero Tuſc. q. L. 1. qui eſt de contemnenda morte ad M. Brutum, de antiquitate dicit, quod, *quo propius aberat abortu & divina progenie, hoc melius fortaſſe ea quæ vera erant cernebat.*

4. Quod Pędobaptiſmus nullibi in Scriptura prohibetur, etſi baptiſmum in genere injungatur.

5. Quod nolim Anabaptiſtico ſpiritu agi, dum intueor Rotomannum primo orthodoxum, deinde Anabaptiſtam; Cnipperdolingum; ejuſque veſaniam, *Johannem Leidenſem*; ejuſq; ſucceſſorem *Matthæum* homicidam nefandum, qui tandem palo alligatus ad tres primos forcipum ignitorum morſus conticuit, ulterius laceratus Dei Miſericordiam implorabat. vid. *Sleid. Com. L. 10. p. 254, 255, 262 editionis a me perlectæ.*

6. Quod ex cunctis Celeberrimis viris qui Collegium hoc noſtrum a jacto ejuſdem fundamento honeſtarunt, ne unus quidem, quod ſciam, Antipędobaptiſmum docuerit. Hi fuerunt.

Walterus de Fodringham Magiſter ſive Principalis Colegii de Baliolo ante annum 1287.

Johannes Duns Scotus, Baliolenſis uti creditur, patria autem Northumber, ut ad opera ipſius Mſſ. ex dono Elienſis Epiſcopi infra nominati, non ita pridem Legere licuit.

Johannes Wicleff M. Coll. Bal. 1370 qui doctrinam Waldenſium inſtauravit.

Rogerus Whelpdale Epiſcopus Carliolenſis An. 1419 antea vero ſocius Collegii Baliol. qui Bibliothecam ibidem primus libris Manuſcriptis (præter eos ex incerta donatione) locupletavit.

Thomas Chace nobilis, D. Th ſocius Coll. Bal. Cancellarius Hiberniæ, Oxonię & S. Pauli London 1431.

Georgius

Georgius Nevil ab illuſtriſſima familia oriundus, Socius Coll. Bal. & Cancellarius Oxon. poſtmodum vero Eboracenſis Archiep. & totius Scotiæ Primas, qui Columnam Theologicam ceu Pedum (unde Bedellos Pedellos appellari volunt nonnulli) Theologicum ejus inſignia & gnomen gerens dedit Coll. Bal. multis manſcript. ditavit. 1455.

Gulielmus Gray nobilitate generis inſignis alumnus Coll. Bal. Epiſcopus Elienſis qui Collegii Bibliothecam manuſcriptis auxit Munificentiſſime. 1478.

Robertus Abdy nobilis Coll. B. Magiſter Bibliothecam etiam Libris ornavit. 1478.

D. *Bole* Soc. Col. B. Elienſis Archidiaconus, qui libros nonnullos dedit. 1478.

Guil. Aiſ. Epiſcopus Ciceſtrenſis tertius, hujus non meminit Catalogus Epiſcoporum Angliæ, qui Bibliothecam auxit.

Guil. Wilton Socius Coll. Bal. & Cancellarius Oxon. 1492. qui libros dono dedit.

Thomas Gaſtoing Th. D. Soc. Col. B. & Cancellarius Oxon. 1522. qui Libros largitus eſt.

Joh. Piers Mr Coll. B. Archiep. Eborac. 1560. Libros donavit.

D. *Lilly* M. Coll. B. P. Th. Libros Collegio dicavit.

D. *Holland* Soc. Coll. B. Regius Profeſſor in Th. qui libros legavit.

Robertus Abbots M Coll. B. & Reg: Profeſſor in Theol. Epiſcopus Sarum tandem factus, *Johanne Parkhurſt* Th D. in præfecturam Collegii ſuffecto.

Georgius Abbots D. Soc Coll. B. poſtmodum Archiep. Cant. qui noſtram Bibliothecam inſtauravit.

Gul.

Gul. Davenport filius & hæres Hum. *Davenp. Arm.* Alumnus Coll. B. Juriſconſultus peritiſſimus & præſes primarius Curiæ Fiſci, qui ſacrarium ditavit.

M. Coventry Soc. Coll. Bal. poſtmodum vero Juſtitiarius Weſtmonaſterienſis, pater Honoratiſſ. Domini, Domini Coventry Collegii etiam Bal. Alumni, Magni Sigilli Cuſtodis.

Præter alios quamplurimos non ſolum nobilitate Generis ſed & Eruditione inſignes, quantumvis ad paria faſtigia non omnes Evectos, qui Bibliothecæ Noſtræ inſtruendæ opem nihilonimus tulerunt, quorum Exemplis aliquo modo ductus Pædobaptiſmum eſſe Licitum ſtatuo, ne caput hoc & corpus Chriſtianum caudam trahere Ethnicam inciperet. Neque

Infantem videa ſapporrectumq; Draconem.

SECT. XIIII.

Voſſii & Savagii reſponſiones vindicantur ab exceptionibus M. Tombes qui conjecturas deperit.

PRimo hic M. *Tombes* ponit Syllogiſmum qui hujuſmodi eſt. *Baptizandum eſt juxta inſtitutionem Chriſti Apoſtolorum & aliorum in ſacra pagina probatum exemplar &c. Sed juxta inſtitutionem Chriſti & exempla in ſacra pagina probata infantes non baptizantur ergo &c.* Reſpondeo primo Majori, quod ſola inſtitutio Chriſti ſufficeret ſine Apoſtolorum vel aliorum in ſacra pagina probato Exemplari. Sufficeret etiam praxis Apoſtolorum vel aliorum probatum exemplar

ſine inſtitutione Chriſti expreſſe cognita: quia quicquid eſt Apoſtolicæ vel aliter probatæ in ſcriptura traditionis, illud juris divini eſſe non eſt dubitandũ, etſi a Chriſto expreſſe non præcipiatur. Ad minorem vero reſpondeo quod juxta inſtitutionem Chriſti infantes baptizantur: quod probatur ex ipſo Loco *Mat.* 28. 19. allato a M. *Tombes* ubi mandatum eſt generale ſc. *facite diſcipulos &c.* At ubi hinc Excipiuntur parvuli non reperio; probatur etiam non ſolum ex doctrina Apoſtoli Act: 2 38. &c. Sed ex probato examplari. Act. 16. ubi legimus *integram familiam* baptizatam fuiſſe, parvulis non exceptis, quẽadmodũ in circumciſione factum fuiſſe conſtat. At de his ſatis in ſuperioribus.

2. At inquit M. *Tombes non advertit* Savagius (in Anaſceue) *adverſarios objicere infideles Negative non eſſe baptizandos, eo quod ex mente Chriſti ſolum poſitive fideles baptizandi quod ergo concedit infantes eſſe infideles negative confirmat objectionem adverſariorum.* Reſpondeo, quod objectioni (cum generalis ſit) neceſſarium erat reſpondere per diſtinctionem, inter incredulitatem negativam & poſitivam, & dicere incredulos negative baptizandos eſſe. Nec ullius eſt momenti, quod adverſarii objiciunt, *incredulos negativè non eſſe baptizandos*, proinde nec infantes fidelium: quoniam pura rei negatio non poteſt eſſe baptizationi impedimento vel *obici* ut Loq. Aug. Epiſt. 23. ideoq; non calleo quomodo hoc confirmet objectionem adverſariorum. Imo nec ex mente Chriſti ſolum poſitive fideles baptizandi ſunt, quemadmodum ſæpius diximus. Duo enim requiruntur ad perſonam baptizandam. 1. Abſentia impedimenti h.e. incredulitatis poſitivæ, quæ infantibus non accidit. 2. præſentia alicujus requiſiti Neceſſarii, hoc eſt, fidei poſitivæ, quæ extrinſe-

ee

ee ſe habet ad infantes Baptizandos, parentum quippe eſt; quod ſufficit, uti ex ſuppoſitione ſatis patet; ideoq; minoris eſt momenti, quod M. *Tombes* dicit *eadem ratione Licere infidelitatem profitentium infantes baptizare*; & adhuc minimi quod affirmat, *neminem abſq; propria ipſius profeſſione fidei baptizandum eſſe.*

3. Objicit M. *Tombes* quod *Savagius videtur probare parum referre vel parentes fidem profiteantur vel non, Modo profeſſio in fidejuſſoribus reperiatur.* Reſpondeo, quod multa videntur quæ non ſnnt. Noverint igitur præſentes & futuri (ut M. *Tombes* de Doctore hoc modo in poſterum non harioletur) D. *Savage* non agnoſcere uſum fidejuſſorum (extra caſus ſuperius notatos) aut eſſe, aut unquam rite fuiſſe.

4. Jam ad Argumentum *Voſſii* dicit M. *Tombes illud eſſe præter mentem Chriſti qui non aliam regulam poſuit conſtitutæ quam conſtituendæ Eccleſiæ.* Reſpondeo, negamus hoc. Quoniam aliam atque aliam eſſe his ponendam, ab Eccleſia Judæorũ diſcimus: in Eccleſia enim conſtituenda adulti ſolũ circũcidebantur, uti *Abraham* in Eccleſia vero conſtituta infantes etiam circũcidendi patet ex mandato Dei & praxi circũciſionis. At inquit M. *T. ſi ad iſtud exemplar baptizandum, non baptizabitur infans niſi Mas, nec ante Octavum diem, nec erit opus preſbytero ordinato ad hoc opus, ſed pater quilibet familias ſi non obſtetrix par erit iſti muneri obeundo.* Reſp. quod aliam eſſe rationem *Eccleſiæ* conſtituendę & conſtitutę, probatur ſatis: ſed an ad illud exemplar baptizandum? alia eſt quæſtio. A diſparitate modi, temporis vel miſtri adminiſtrationis, nis, ad diſparitatem ſubjecti adminiſtrationis non ſequitur argumentum: tantum docet adminiſtrationem novam eſſe veteri præſtantiorem, non in ſubjecto, tamen 1. In amplitudine ſubjecti. Secundo, in præſtantia Miniſtrantis. Tertia in libera

electione temporis opportuni, & ad negotium accommodati.

5. Notat M. *T.* aliud Argumentum Voſſianum, quod hujuſmodi eſt. *Baptiſmus infantum non legitur, inquiunt, Quid? Legiturne Apoſtolus ad Cœnam Apoſtolicam mulieres admiſiſſe? Et tamen quis hunc morem in dubium vocavit? Quid quod Apoſtoli familias integras baptizaſſe dicuntur.* Act. 16.15.33. & 1 Cor. 1. 16. reſpondet M. *Tombes* primo, non baptizari infantes ſatis ex eo probari, quod per novum Teſtamentum fides & reſipiſcentia baptiſmum antecedere dicantur. Textus, quos adducit ſunt Mat. 3. 6. Luc. 7. 29, 30. Jo. 4. 1. Act. 2, 41. &c. quibus reſpondeo ego negando fidem & reſipiſcentiam prærequiri ad omnes baptizandos in genere: nec quod probaret M. *Tombes* in contrarium ullo modo ex illis Locis allatis Evincitur. 2. Præceptum alibi eſt generale baptizandi omnes, unde infantes eſſe excipiendos non Lego. Secundo, dicit M. T. *Legi ad cœnam mulieres admiſſas.* 1 *Cor.* 10. 16, 17. & 11. 28. *Act.* 20. 7. reſpondeo, quod in illis locis nihil de admiſſione mulierum Legitur: ideoq; Argumentum Voſſianum remanet adhuc invictum. *Et* inquit Mr *T. cum legitur familias baptizatas ſatis e textu patet familiæ nomine non contineri infantes, ſed Synecdochice credentes in familiis* Act. 10. 2. & 11. 14. & 16. 32, 34 & 18. 8. 1 Cor. 1. 5. 15. Reſp. hoc gratis dictum eſſe, nec ulteriori reſponſione indigere. Hanc tamen regulam in iſtiuſmodi Locis interpretandis mihi proponendam duxi; nempe, in illis Locis, in quibus nuda fit mentio pietatis & charitatis integræ familiæ infantes non comprehendi; At ubi mentio fit baptizationis integræ familiæ, parvuli comprehenduntur; nec ad Aſylum Synecdoches confugiendum eſt. Ideoq; Locus ille Act.

10.

10. 2. Mentionem faciens Cornelii timentis Deum cum tota familia ejus &c. nihil probat de baptiſmo. Idem de aliis forſan dicendum eſt, *ſed ex pede Herculem.*

6. Objicit M. *Tombes* verba ipſius *Savagii* queſtione ſequenti. *In nomen baptizari eſt per fidem in Deum inſeri. Ergo qui in nomen Chriſti baptizatus eſt, is per fidem in Deum inſeritur.* Unde infert M. *Tombes Infans qui per fidem in Deum non inſeritur non baptizatur in nomine Chriſti.* Reſp. illud quidem intelligi de baptiſmo in genere, quo baptizatus aſtringitur ad fidem & reſipiſcentiam erga Patrem, Filium & Sp. ſanctum; quæ reperiuntur in omnibus adultis, in quibus baptiſma ſuam habet efficaciam; ſufficit autem infantibus baptizatis fidem & reſipiſcentiam quum adoleverint, exerere, ſola interim fide inclinativa (ut loquuntur nonnulli) ceu habituali (ut alii) vel (quod eodem redit) in ſemine (ut ceteri volunt) contentis. His poſitis, dicimus breviter, quod infans *per fidem in Deum inſeritur* quoad obligationem ad credendum, & quoad promiſſionem actualem Dei ipſius infanti baptizato exhibitam, unde omnia alia ipſius privilegia ſive interna ſive externa ſive æterna profluunt.

SECT. XV.

M. Tombes a Schiſmate non Liberatur minus ſerius ipſe deprehenditur.

MR *Tombes* concedit aſtutiâ Diaboli hanc Controverſiam excitatam eſſe, *ſed culpa eorum qui jurati reformationem promovere juxta verbum Dei, adhuc*

huc tuentur placita hominum: Reſp. jurati ſunt reformationem promovere non ſolum ſecundum verbum Dei, ſed etiam ſecundum reformatiſſimarum Eccleſiarum exemplaria; prius ut inde veritas ſarta tecta conſervetur; poſterius ut ſchiſma evitetur, quo a debita unitate diſceditur. Atq; hujus quidem Mr *T.* rite (ut opinor) reus paragitur: Et ſatis πρὸς Διόνυσον eſt (quicquid ipſi videatur) quod hortatur *Savagius* verbis Jud. v. 3, 4. *decertare pro fide ſemel tradita ſanctis quæ ita ſemel tradita ſt* (inquit *Beza*) *ut poſtea nunquam ſit immutanda*; atq; ita impugnatur ut *pro viribus ſana ſc. Doctrina & vitæ Exemplis ſit propugnanda*; Apte etiã quadrat in præſens negotium quod D. *S.* ſequentia his temporibus accommodaverit; nempe *ſubrepſerunt quidam homines &c. impii, qui Dei noſtri gratiam transferunt ad Laſciviam, & ſolum illum herum Deum ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negant*: Duplex enim eſt Laſcivia impiorum (impiorum inquam ab impietate enim cordis eſt) una morũ *quæ* inquit *Beza, convenit Anabaptiſtarum ſectæ, quos Libertinos vocant*; altera opinionum, quæ Socinianorum eſt, qui non ſolum parvulorum baptiſmum, ſed & Deitatem Chriſti, in quem baptizamur, infici ntur: quo pacto *ſolum illum herũ Deum ac Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum Negant*. Audiant igitur Anabaptiſtæ hujus ſeculi, vel qui Antipædobaptiſtæ vocari malunt: & forſan copiam dabunt Marſhallo ipſos Sociniani artificii, mihiq; petulantiæ accuſandi: Sociniani inquam artificii, quum & ipſe M. *Tombes* ad aſtruendam Antipędobaptiſtarum ſententiam, ipſiſſimis Socinianorum mediis utatur. Catechiſmus enim Racovienſis. *C.* 4. ad Quęſt. *Num ad* Baptiſmi *ritum infantes pertinent*? Reſpondet, *nullo pacto*; *nam* inquit, *nec in Scripturis ullum mandatum aut exemplum ea de re habemus*

habemus, neq; ipſi (ut res ipſa indicat) Chriſtum pro ſuo ſervatore agnoſcere per ætatem poſſunt. Quo pacto viam ſternit veram Regenerationis Naturam tollendi aliamq; ſpuriam ſc. (quam in infantibus reperiri facile negat) in ejus locum ſufficiendi; veri deniq; ſacrificii neceſſitatem & perſonę Chriſti mediatoris veritatem penitus negandi. Secundo petulantię, nam ſi quid ſancti aut ſani Doctrinę pędobaptiſmi olim traditę ſanctis inſit; nonne jocis ſannis & dicteriis ipſe excipere (*Pupa ſperginem* ut reliqua taceam appellando) petulantiæ eſt maximæ? At poſtquam M. *Tombes* Liturgiam mimicam, Directorium Minus ſerium hac in re pronunciaverit, & in Doctore Copronymum (quam autem apte vel ſenſu Métaphorico, nedum proprio, præſertim in perſona faſciis, dum baptizaretur, involuta, penes Lectorem judicium eſto) deprehenderit; aliquid de Athanaſio parum ad Rhombum narraverit: Ipſe *Mimice* ſic concludit. *Ita inſignis Dominus Doctor ſuper ejus Theſi habet animi mei ſententiam.* Adeo ut haud inepte forſan Lectorem demulſiſſet eo modo quo Poeta Domitianum Cęſarem prędatus eſt.

Qua Thymelem ſpectas deriſoremq; Latinum
Illa fronte, precor, Carmina noſtra Legas.

Errata quædam ſic corrigenda.

PAg. 1. lin. 7. lege *congregationi* p. 4 l. ult dele *non* p. 8 l. 9. *baptizandi* p. 17. l. 5. *Alexandrin.* p. 18. l. ult. *tautologica* p. 19. l. 16. *erant* l. 23. *illum* p. 33. l. 20. *ſi ſic* p. 35. l. 8. *Album* p. 37. l. 13. *peculiariter* p. 38. l. 28 *probabilitate* p. 41. l. 6 *continuanda* l. 17. *quam* p. 44. l. 4. *aſſerent* l. 21. *exiſtimationi* p. 45. l. 27. dele *ſeſe* l. 30. leg. *infantes* p. 46 l. 28. *adhibet* p. 48 l. 13. *quantum* l. 18. *poſſit* p. 50. l. 14 *pejor* p. 53. l. 2. *ergo* l. 5. *omnem* l. 8. *viſibilem* p. 59. l. 8. *mixtum* p. 61. l. 5. *prima* p. 64 l. 4. *Origenes* l. 10. *Origenes* l. 18. *Origenes* l. 20. *currente* p. 66. l. 2. *Origenis* l. 7. *Origeni* l. leg. *Origenis* l. 24. *nulla* p. 67. l. 17 *Origene* l. 23. *extiterit* l. 28. *Origenes* l. 32. *Origenis* p. 68. l. 1. *Origenem* p. 68. l. 13. *lac. l.* 22. *Origenis* p. 69 *hac* l. 20. *Nicana* 30. ἐγγεαδεκαετηεὶς ☉ p. 73. l. 11. *fatebunt* p. 75. l. 7. *Dominicalis* p. 76. l. 29. *ſtercoribus* p. 80. l. 19. *baptizandus* p. 80. 32. *anima* p. 82. l. 9. *paralytici.* p. 94. 18 pro *ita* l. eo.

FINIS.